


BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
 GRANADA
 Clasificación: A
 Estado: 31
 Número: 291




3
 26-176
~~24-87~~

A
 30
 203

PETRI VELLEII
 GVEVARAE AD LEGEM
 primam Digestorum.
 Libri VI.

EIVSDEM
Ad titulum de officio Praesidis commentarij.
De diffinitione Doli mali, liber singularis.



Cum Priuilegio.
 SALMANTICAE.
 Excudebat Matthias Gastius.
 Anno. 1569.
 Esta tallado en



1789-7
Pertinet ad Conventum Ducalium
S. P. Nrae Augustini Civitatis Granate
anno 1789.

Fr Valentini à S. Ysidoro

Prox

EL REY.

POR quanto por parte de vos, el doctor don Pero Velez de Gueuara prior de la yglesia mayor de Seuilla, nos fue hecha relación diziendo que vos auades compuesto un libro en derechos, partido en tres tratados: El primero sobre el principio de la ley primera, de iustitia et iure: y el segundo sobre el titulo de officio presidis: y el tercero de Doli mali diffinitione, el qual queriades hazer imprimir, y nos pedistes y suplicastes vos diessimos licencia y facultad para que vos o quien vuestro poder vuisse, y no otra persona alguna le podays hazer imprimir en estos nuestros reynos de Castilla, por el mas tiempo que fuessemos seruido, o como la nuestra merceá fuessse, y nos acatandolo sobredicho, y que el dicho libro ha sido visto y examinado por los del nuestro cõsejo, y les ha parecido ser obra util y prouechosa lo auemos tenido y tenemos por bien. Porende por la presente damos licencia y facultad a vos el dicho Doctor don Pero Velez de Gueuara, para que vos o la persona q̄ vuestro poder especial para ello vuiere, y no otra alguna puedan imprimir y veder el dicho libro en estos nuestros reynos y señorios de Castilla, siendo primeramente tassado por los del nuestro consejo, el precio porque se ha de vender cada volumen, y pontendose el traslado desta nuestra cedula con la dicha tassa, al principio del dicho libro, por tiempo y espacio de diez años primeros siguientes q̄ corran y se quenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante: so pena que qualquier persona, o personas, que sin tener para ello vuestro poder lo imprimieren, o vendieren, o hizieren imprimir o vender, pierdan toda la impressiõ que hizieren y vendieren, y los moldes y aparejos dello, y mas incurra cada vno en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hizieren, la qual dicha pena, sea la terecia parte, para la persona que lo acusare, y la otra terecia parte para el juez que lo sentenciare, y la otra terecia parte para nuestra camara y fisco: y mandamos a los del nuestro cõsejo, y a otras qualesquier justicias de estos nuestros reynos que guarden y cumplan, y hagã guardar y cumplir esta nuestra cedula, y lo enella contenido. Fecha en Madrid, a xij. dias del mes de Março, de mil y quinientos y sesenta y siete años.

Yo el Rey.

Por mandado de su Magestad.
Pedro de Hoyo.



ON Philippe por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hierusalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorcias, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega de Murcia, de Jaen, de los Algarues, de Algezira, de Gibraltar, Duque de Milan, Conde de Flandres, y de Tirol, &c. Por quãto por parte de vos el Doctor don Pero Velez de Gueuara, prior de la yglesia mayor de Seuillanos fue fecha relacion, diziendo que vos auia des compuesto vn libro en derechos, partido en tres tratados. El primero, sobre el principio de la ley primera, de justitia & iure, y el segundo sobre el titulo de officio p̄sidis, y el tercero, de Doli mali diffinitione: el qual era vtil y prouechofo, y nos fue pedido y suplicado, vos mandafemos dar licencia, para lo poder imprimir, o que sobre ello proueyessemos, como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los de nuestro cõsejo, y como en el dicho libro se hizo la diligencia, que la pragmatica por nos agora nueuamente fecha dispone: fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra carta para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por la qual vos damos licencia y facultad, para que por esta vez podays hazer imprimir el dicho libro, que de suso se haze mencion, sin q̄ por ello cayays ni incurrays en pena alguna, y mandamos, que despues de impresso no se pueda vender ni venda, sin que primero se trayga al nuestro cõsejo, juntamente con el original que en el fue visto, que van rubricadas todas las hojas y firmado al fin del, de Iuan Fernandez de Herrera nuestro escriuano de camara, de los que residen en el nuestro cõsejo: para que se vea si la dicha impresion esta conforme al original, y se os de licẽcia, para lo poder vender, y se tasse el precio, a que se ouiere de vender cada volumen: fopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes de nuestros reynos y no fagades ende al. Dada en la villa de Madrid, a tres dias del mes de Março, de mil y quinientos y sesenta y siete años.

El Licenciado Diego de Espinosa.

El Licenciado Menchaca.

El Doctor Durango.

El Licenciado Pero Gasca.

El Licenciado Euen Mayor.

El Licenciado Iuan Capata.

Yo Ioan Fernandez de Herrera, escriuano de camara de su Magestad, la fize escriuir por su mandado, con acuerdo de los del su cõsejo.

LVDVICVS CAESAR IV-
ris studiosus, de optimo genere iuris interpretandi,
Ad Lectorem.



ON dubito sanè plurimos futuros (curiose lector) qui vel audaciam meam reprehendant, vel temeritatẽ crimentur, quòd cum ingenio nihil valeam, & studia iuris prudentia leuiter attigerim, illud mihi de me ipso polliceri audeam, vt in tanta scriptorum varietate, ac infinita penè multitudine, facturum me certum de singulis iudicium, & optimam iuris interpretandi rationem cõstituturum esse arbitrer. Sed cum ego tam parum mihi tribuam, quàm quod non debeat ullus alius, licet inuitus denegare, & animum meum non induxerim, vt parem operi me tanto confidenter existimem, nec aliquibus eorum calumnijs, aut maledictis perturbari, nec ab eo proposito dimoueri potero, quo si minus fortasse studiosis profuero, meam saltem in eos voluntatem testatam apud omnes relinquã. Non enim auribus meis ita blandior, vt audire, fateriue pigeat, reperiri non paucos, qui cum longo docendi usu, & eximia iuris cognitione

gnitione maximum nomen cōparauerint, & aternam pro felicissimis laboribus posteritatis memoriam mereantur, suscepti à me muneris partes melius obijissent, & huiusmodi studium ingredientibus facilem viam demonstrassent, quam si semel institutam tenere pergerent, aberrare nullo modo possent. Verum nescio quo malo Reipub. literaria fato accidisse dicam, ut cum grauissima de iuris interpretibus controuersia magnorum virorum iudicia multos iam annos exercuerit, nullus adhuc è nostris extiterit, qui suam auctoritatem interponeret, qua veterem tandem contentionem dirimeret, ne si esset ad longius duratura tempus, expectatos noua iuuentutis in literis progressus interim posset remorari. Cum autem hoc in dies magis singulos antè meos oculos obserfaretur, & viderem sapientissimos homines (quales habet hæc Salmanticensis Academia plurimos) siue curis grauioribus obstrictos maiora moliri, siue partium non id esse suarum diuturno silentio declarare, opportunam scribendi nactus occasionem tale cepi consilium, ut de re, qua per summam pertinaciam satis esset iam multis agitata clamoribus, dicerem ea, qua sentirem. Quo igitur

tur altius ordiamur, & ab Edicto Iustiniiani de confirmatione Digestorum repetamus initium, prasagiebat iam inde animus Imperatoris futurum, ut si verbosis multorum commentarijs ad leges Populi Romani, vel minimus aditus pateret, et suas de illis opiniones cuius liceret diuulgare, maiori multo, quam antea, cōfusione misceretur, qua dedecus aliquod perpetuum esset eisdem allatura. Quod cum ille de statu rerum futurarum, utilitateq; publica sollicitus singulari prudentia prouideret, & prateriti temporis recordatus licentiam vereri capisset, ne tanta voluminum mole ciuile ius obrueretur, quanta quondam Pratoris Edictū ex omni parte premebatur, lata lege sanciuuit, ut nullus aliquas in posterum interpretationes legum faceret, sed aut titulorum breuissimè, qui vellet, argumenta perstringeret, aut in Gracum, si mallet, illas ita conuerteret, ut verbum pro verbo redderetur. Si qui non obtemperassent, contraue legem commississent, falsitatis reos appellari voluit, & in tenebris iussit sempiternis libros ipsorum sepeliri. Cuius equidem promulgatione tanta mentibus hominum est iniecta religio, ut diu omnes in officio cōtinentissimè permāserint,

¶ 4 nectam

nec tam proteruus ullus memoretur, qui Justiniani voluntati non paruerit, & antiquius esse non putauerit, iustissimis eius praeceptis non repugnanter obedire, quam aliquam nominis celebritatem editione librorum aucupari. Procedente tamen deinde tempore (tametsi de authore satis non conueniat) Basilij Macedonis industria, aut Constantini Porphyrogeneta diligentia, aut Leonis philosophi consilio, aut communibus magis eorum auspicijs in publicum Basilicus prodiit, qui doctrinam iuris uniuersam sexaginta libris ita continebat, ut obsoletis iam legibus explosis, et nouis in super aliquot adiectis, quae per diuersa nimis loca de rebus eisdem Justinianus dispererat, sub uno simul aspectu distributione certa ponerentur. Verum illud affirmare non ausim, abrogata ne prius constitutione Iustiniani, an scientibus id, atque uolentibus ipsis imperatoribus, tot eruditi postea Modestini, Calocyri, Thalelai, Leonis, Isidori, Callistrati, Theophili, Doxapatres, & Eudoxij Basilicum scholys illustrauerint, abditissimaque iuris mysteria, commentarijs suis aperuerint. Eruantur utinam ex obscura caligine iam eorum opera, nec in noctis diutius umbra iaceant, sed clarissimam hanc lucem studiorum aspiciant, & quasi

quasi longam perpeffa seruitutem postliminio breui reuertantur. Antiquissimos itaque iuris interpretes Gracos apparet exitisse, quorum tenues aliquas reliquias, & illas quidem inter mortuas, doctorum hominum afflatu paulatim uidemus suscitari, nec desperandum erit fore, ut qui per temporum vim, & iniuriam, e manibus fuerat studiosorum erepti, non mutili iam eisdem, sed integri, propediem restituantur. Haud paucis etiam post annis iuris se se civili Latini dediderunt, et pacatis rebus. Itaque alia, quae continuis Longobardorum & aliarum gentium incursionibus ante vexabatur, Justiniani legibus addiscendis operam suam, atque studium diligentissime nauarunt. Caterum primus inter omnes imperante Friderico Aenobarbo, non exigua iuris prudentia laude celebratus frater eius constitutus a Justiniano terminos suo loco mouit, & dum omnibus illis gratificaretur, qui civili disciplina se iam totos addixerant, fines legitimos transgressus, facem quandam locis obscurioribus expositione sua prae tulit, & epitomen Nouellarum composuit, ut uarij se as facilius (quando ratio rerum postulareret) Codicis titulis insereret. Tantam uero Iurisperitorum copiam atas illa prior repente profudit, ut in ea

I 5 postmodum

postmodū multos Hugulinos, Bosianos, Bulgaros,
& Martinos inuenias, nec Columbos, Barnerios,
Rillianos, & Fasolos disideres, plures quoq; Pla-
centinos, Aldericos, Azones, & Rofredos enume-
res, qui vel inra, solum publicè professi non vulga-
rem eruditionis opinionem de se concitarunt, vel
relictis insignibus literarum monumentis memo-
riam sui non ingratam posteris suis prodiderunt.
Hos omnes deinceps insequutus Accursius, perpe-
tuas ad ius ciuile notas ea cura perscripsit, ut qui
libris usus aliorum bonam operis partem cōcinn-
auerat, & ex lucubrations alienis, vel clam, vel
precario multa sumpserat, splendori maiorum suo-
rum de fessimas nebulas offuderit, & nominis sui
claritate famam eorum obscurauerit. Cui profe-
cto postea reliqua scriptores tantum honoris detu-
lerunt, ut in ipsius uerba singuli ex animi sententia
iurasse uideantur, & in uestigijs eius odorandis ha-
beri uelint sagacissimi, nec quoquā pedem ille con-
uertat, quo pariter ipsi non accurrant. Postquam
autem feliciora nobis illuxere iam secula, qua po-
litoribus literis ornatos iuris consultos attulerūt,
non defuere quidam inter eos, qui miserrimū exi-
stimantes Accursij nutum semper intueri, quos
ut homines

ut homines seruilis conditionis, & arbitrio suo pe-
nitus carentes, probroso cognomine notare uolue-
runt, Accursianos nuncuparunt. Non tamen sa-
tis illis fuit, hac eos nota compunxisse, nisi libros
etiam ipsorum ita deriderent, ut persuadere cun-
ctis niterentur, ne sibi tales imitandos auctores
proponerent, quos cum tanta temporis iactura ne
legendos quidem iudicaret. Bonarum etenim ar-
tium atque linguarum imperitos, & latine potissi-
mum omnino nescientes, iurisprudētum ueterum
oracula, summa quadam orationis elegantia, pro-
prietateq; uerborum edita, interpretari posse nega-
uerunt. Quod si de illa solum iuris interpretatione
loquantur, quae numeros omnes in se habeat, &
nihil in ea criticus requirat, si boni neminem &
aqui cumulatam notitiam habiturum intelligant,
qui non se prius liberalibus disciplinis imbuerit,
& uim ita latini sermonis, & naturam cognoue-
rit, ut illorum omnium responsorum, quibus
ea tota continetur, momenta leuissima per-
pendat, non erit cur eis non assentiar. cum his
ornamentis denudata ciuilibus prudentia, barbar-
ra potius, & inculta, quam politica debeat iu-
dicari. Verum ego me hercule non uideo, cur ab
eis

eis ad exactissimam normam Iurisconsulti dirigatur, aut libros aliorum tam morose fastidiant, ut legendi molestiam deuorare non possint, si quaedam non insit in dictione suauitas, nec aures eorum delicatas orationis numerus demulceat, cum rerum sciant humanarum conditionem non pati, in omnibus aliquem artibus pariter excellere, et virum eruditionis consummatam cogitatione magis fingere, quam oculis liceat intueri. Quid enim est cur admiraretur quod in prima velut etate constituta iurisperitia balbutiret, et adhuc in cunis infantula minus articulata loqueretur? Aut quid suos ita grauitate maiores reprehendunt, quod magnis temporum difficultatibus afflicti, et ab omni studio literarum in varias curas et cogitationes distracti, disertiores non fuerint, et in tanta vitae perturbatione dicendi arte non praestiterint? Honestus utique fecissent si durioris illius seculi calamitatibus condolerent, quam barbariem eius vlli contumeliosius exprobraret. Vereor namque, ne si conuerso rerum ordine in tantis illud incidissent, infantiores illis multo fuisse nobis viderentur. Quis praeterea tam erit effrenatus, qui maledicentiam non comprimat, cum animaduertit, quantum illis antiquis

patribus

patribus posteris omnes debeamus, quod cum tristissimum iustitium turbulenti bellorum tumultus in longissimos annos indixissent, intermissa studia reuocauerint, iacetem legum disciplinam exererint, et ad laudem ipsius comparandam exemplo nos suo concitauerint? An propterea summis illos ingenijs natos esse negabimus, quod ornata parum eorum insit oratio, licet ad sensus Iurisconsultorum absconditos, et penitus abstrusos penetrauerint? An vero magis hoc eorum acumen comedat, cum aliter eo peruenire non possent, nisi vitium illud lingua perspicua iudicio compensassent? Nunquid sunt in iure civili omnia in tanta verborum controuersia posita, ut qui vires eorum ignorauerit, a publicis merito gymnasijs cum dedecore procul repellatur? Ita ne tandem antiquitatis cognitionem singula desiderant, ut qui rerum non ultimam memoriam praeteritarum recorderetur aditu debeat Pandectarum ea sola de causa prohiberi? An non ita multa sunt huiusmodi, sed pauca quadam, et illa quidem talia, quae vel ex his eisdem libris ferere possunt intelligi, vel scientia legum sine illis undique solida consistat? Non dissimilem temporum habet excusationem quod eisdem de non seruata methodo docendi iuris obiecerunt.

Cum

Cum enim artes uniuersa miserabili casu cōcidis-
sent, & de pristina suae dignitatis fastigio grauis
eas ruina deturbasset, Dialectica etiā simul cor-
ruit, quae tractandarum rerum ordinē ceteris om-
nibus praescribit: nec tamen id eorum culpa, sed atz
tis uidetur illius accidisse. Quin etiā bonā eius par-
tē Tribonianus sustinuit, qui cum prudentia vete-
ris volumina mēbratim discerperet, et ex pluribus
unum quasi corpus componeret, paucissima suo lo-
co posuit, sexient rerum perturbauit, disiuncta ma-
xime permiscuit, colligata dissoluit, & aliud cum
alio tam male cōiunxit, ut quod erat ad caput affi-
gendum, in pedes interdum mōstro se reiecerit. Po-
terunt etiam eo crimine summo iure (ni fallor) libe-
rari, quod de generibus non semper uniuersis, sed
de minimis rebus sigillatim plerumq; disputetur,
quae cum infinito multiplicata sint numero, coacer-
uari quidem omnes sine discrimine facilius, quam
vel vlla quae at certa lege disponi, vel aliqua metho-
diratione comprehendi. Ex hac autem confusa va-
rietate, & rerum difficili multarum ad distingue-
dum similitudine, dandam quibus nostris interpre-
tibus veniam indicabit, si quae suapte sunt natum
nimis complicata nō satis euoluerint, si multiplicis,
& latissime

& latissime patenti disputationis ordinē peruerte-
rint, si quadam non parum necessaria properantes
omiserint, si cum in diuersas eiusdē sententia san-
ctiones incurrerent, nec varijs solummodo tempa-
ribus, sed etiam locis inseruirent, eadem saepius in-
culcauerint, & in iuris salebris haerētes aliena non-
nunquam à proposito disceptationibus intulerint.
Quāobrem liberius iam in eos, sicut in nugatores
insultantes, praestigiarum illos crimine postremum
accerunt, & eo nomine grauiter accusant, quod
sophisticis quibusdam argutijs inueteratas multo-
rum opiniones euertendas putauerint, ut iustitia
vanis imaginibus, et inanibus umbris aquitatis a-
dolescentum oculis illuderent, & imperita multitu-
dini fallacissime se se venditarent, intentissima vo-
ce personantes, quod omnibus esset inauditum, &
in mentē alicui non venisset. Inducit tamen ad cre-
dendū ego minime potero, tā deprauatis aliquem
eorum extitisse moribus, aut gloriola cupidum
presentis, duraturam diutius apud posteros fa-
mam tam leuem existimasse, ut obuiam ire ve-
ritati scienter maluerit, quam dogmatibus alio-
rū acquiescere, vel ineptias suas potius, fūca quo-
dam illitas puerili ludibrio temporū exponere, quā
in falsis

in falsis sententijs refutandis (quas probabiliores esse veris interdum experimur) ingenij vires ostentare. Quod si hominum inter se de rebus omnibus adeo discrepant iudicia, & tam admirabiles apparent animorū dissimilitudines, ut alteri nullus omnino consentiat, cur non hanc opinionum repugnantiam ad humanam naturam libentius referemus, quam eorum petulantia tribuamus, qui sine studio contradicendi (quantum de iustitia sacerdotibus iudicare possumus) quid esset verius indagantes, negotium sibi cōmendatum fidelissimè procurarunt? Nūquid hominis ingenui non tam esse videbitur, à cōmunibus toties institutis discedere, quoties efficax illud ratio persuaserit, quam illiberalis, & captiui, tātum auctoritate cōmoueri, ut quod iusto sacramento falsum esse contenderes, id ipsum inuita Minerva verissimū debeas affirmare. Illis ne vocibus grauissimè libera non aures offenduntur, cum aliquid verius esse audiunt, sed in iudicijs & consultationibus quod falsius sit esse probandū? Num qui similes quasdam alias disputando non semel excitarunt, nouarum interpretationū amantissimi, an veterum contra sectatores habebuntur miserimi, quod veris receptas praeulerunt? atqui

211
212

eas huius classis authores, qui tanti sine culpa maleficij contraxit infamiam, ita frequenter usurpant, ut si reos ipsos peregissent, quod in maximis aliorum erroribus nimium conuenerent, & capitibus obuolutis praeventium gressus sequerentur, habiturus fortasse non fuisset, quid illis ad ea responderem. Verū hoc eo sanè non dixerim, quia vulgaribus praeceptis eruditorum consensu confirmatis, in causis praesertim controuersis, adhaerendum semper esse non censeam: sed quod suis laboribus plerumque tantopere diffidant, ut si cūctis aliquid suffragijs approbatum inuenerint, non eis solum aperte refragari, sed ne hiscere quidem audeant. Quin eadem illa iustius actione, cum his Jurisconsultis iunioribus antiqui possent experiri, ne contra eos dicam obtinere, cum nouis rebus maxime studentes, tam diuersam ab omnibus sectam sint secuti, ut non unam eandem cum ceteris, sed dissimilem aliam profiteri iurisprudentiam videantur. Nec ideo tamen (si me aliquis audiat) conatus eorum paruipendere, sed magni debemus aestimare, quod spinas in iure civili barbarie temporum enatas conuellendas curauerint, & faciem eius haecenus deformem, quam adumbratam solum videbamus.

J J mus.

mus, nitori suo restituerint, & viuis coloribus ex-
presserint. Quod enim illius nascentis initia, & se-
mina prima legū antiquarum, obliuione vetusta-
tis obruta in nostrum aspectum protulerūt, & fon-
tes nonnunquā rerum intuentes diductos nobis in-
de riuulos certius multo demonstrarunt, quod ad
causas maioribus incognitas in ipsis principijs lati-
tantes, digitos suos intenderūt, vel ingenijs longius
prospicientes opinionibus nouis abundarunt, vix erit
ut non semper illis gratias immortales habeamus.
Nam illud quidem genus hominum (ut leuissimè
dicam) ferendum non arbitror, qui literarias alio-
rum possessiones latenter inuadunt, imò luce pa-
lam, & in oculis omnium impudenter diripiunt:
qui plumis furtiuis exornati procedunt in publi-
cum, & libros alienos compilantes, multas pa-
ginas implent, cum tamen de suo nihil afferant:
qui brocardicis (ut appellant) se se nimis ingur-
gant, & importunè multa blaterant: qui præ se
ceteros homines non putant & interpretes omnes
superasse magnificè se iactant, si qua fuerunt
à veteribus in vno loco posita, in alium minus
idoneum, licet inuita, transtulerunt. Nec eos in-
super omittam, qui tantum temporis & opera
recensendis

recensendis nominibus authorum impertiunt, ut
laboris & diligentia ferè nihil in aliam rem insu-
mant, & illi se cura totos mancipent: qui nihil
esse magis gloriosum existimant, quam alicuius
uti testimonio, quem de nomine reliqui non
nouerint, siue (quod ego valdè suspicor) ut cau-
sidicum formularium, & imperitum leguleium,
vel ineptum rabulam contempserint. Tam alie-
num enim à Iurisconsultorum instituto, quos
habere præ oculis nos deceat, id fuisse considero,
ut in causis quibuslibet contentione plenissimis,
vnum aut alterum laudauerint, nec locos om-
nes aliorum, quibus partes easdem defenderunt,
diligenter excusserint: quasi veritas non authori-
tatibus, sed rationibus esset exquirenda. Ne vi-
dear tamen hoc alicui nimis ad viuum refecare,
non negauerim iuris interpretibus, ut quod ac-
ceperint ab aliquo, debere se potius illi fatean-
tur, quam silentio turpissimo dissimulent: modo
non in hanc curam potissimum incumbant, sed
vim prius & legum potestatem tota mente per-
cipiant, & nervos suos omnes in hoc vno conten-
dant, in quo quidem solum magni Papinia-
ni, Scauola, Pauli laborarunt. Verum esto,

¶¶ 2 demus



demus antiquioribus, ut aliquā laudem cōsequā-
tur, quod plures undiq; testes conclusionum suarū
colligentes, in multiplici saltem, & assidua se lectio-
ne librorum occupatos ostenderint. Num eadem,
obsecro, fraudari nos indignè putabimus, quibus
indices locupletissimi, quos domus amplissima vix
capiat, turbam eorum non exiguam momento tē-
poris suppeditant? Ego sanè (si verū fatear) nihil
esse arbitror cur molestè feramus. Unde fit ut illis
iam omnibus scribendi occasionem sublatā intelli-
gā, qui tamenerti velint diligētia vulgi rumuscū-
los venari, cum gloria nobis segetem uberrimā ci-
uilia studia proposuerint, quā acutis ingenij simul
& iudicij falcibus hodie demetamus. Habes igitur
(lector optime) iam expositas causas, quibus anti-
quis iuniores succenseant, & cōiitjs eos prosequā-
tur: illas modo, si placet, videamus, ob quas hi quo-
que male audiāt, & impostas veteribus iniurias,
aut alias etiam grauiores ab illorum imitatoribus
cogantur alterna vice sustinere. Cū enim ani-
ma duerterent sosculis eos orationis, & ornatu di-
cendi deliniri, & iniquo animo paterentur iuris ci-
uilis cognitionem intant as compelli verborum an-
gustias, & ad angulos literarū reuocari, ne cogno-
minis

minis eius viderentur immeritores, quod ab Ac-
cur sio, quem ducē insequuntur, nō parum (ut pu-
tāt) honorificū traxerūt, neue non mutuā illis gra-
tiā cumulatisimè referrent, quasi nomine Iuris-
cōsultorū indignos, grāmaticos appellarunt. Quā-
uis autem suis illum laboribus finē proposuissent,
& omnes eorum cogitationes in eo duntaxat vigi-
lassent, ut multis distincta margaritis, & splendo-
re verborum illustrata niteret oratio, quā non ad
aliquam ciuilis philosophiā vel minimam partem
pērtineret, non ideo tamen ego tam fordido voca-
bulo, sed honestiori quodam alio, Rhetores ipsos
nominarem. Sin collapsam olim legum maiestātē,
admirabili dignitate sermonis hodierno iā die con-
stitutam, eorum beneficio retinemus, abesse non po-
terit, quin aut palam illos Jurisconsultos, aut Iulia-
num, Marcellum, & Pomponium nuncupemus
grammaticos, quod barbare nihil pertractarunt,
sed ornatè de rebus omnibus, eleganter, & latine
scripserūt. Quid? tam alienamne aliquis à Juris-
consultis indicabit grammaticam, ut turpe putet
illam didicisse, qui legerit Antistium Labeonem
ea maxime usum, cū difficiles nodos expediret,
latinarumq; vocū originibus cognitis, et rationibus
JJ 3 earum

earum exploratis, pleraeq; iuris quaestiones, pluribus laqueis irretitas feliciter satis extricasse? Neget ne ullus eloquentiam iurisperitis esse necessariam, qui P. Crassum, illum diuitem, viderit multum commendari, quod P. Scruola fratri solitus sit persape dicere, nequaquam eum in iure civili, satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset? Mirarer utiq; magnopere si non eruditione latina vehementer offenderentur, cum eos dem pariter homines vituperent, quod ad iuris civilis disciplinam, Dialecticam addiderunt. Quam sane si (quod grauius patiar) cum Epicuro contemnunt, & in ea diutius opinione permaneant, illa saltem, qua docuerint, velle videbuntur, ut arte nulla distinguantur. Verum Ser. quidem ille Sulpitius eorum errorem facile redarguet, quem non modo ceteris magnis Iurisconsultis, sed & Q. Scruola pontifici Ciceronis iudicium anteposuit, quia magnus tantum apud alios iuris usus fuisset, & artem hic solus esset consequutus: quod scientia iuris proculdubio nunquam effecisset, si Dialecticam cum ea vinculo nullo copulasset. Nec si scioli quidam, & garruli sophista toto foro volitent, & elenchis quibusdam captiosis ignorantes decipiant, Dialectica

lectica culpam conqueremur, quae fallaces potius evitare conclusiunculas doceat, quam leuibus illis, & vanis argumentis veritati resistere: nisi pariter omnes disciplinas, & in primis iurisprudentiam reprehendendam censeamus, quod ea plures abutantur. Omnis ergo iam criminibus, quae pudeat reos inficiari, quod merito de illis gloriantur, ad illud demum veniamus, quod eius accusationis, quam intendunt, capite tertio continetur. Auctoritatem enim a iure iuris sacrosanctam, violentis eorum, & impuris manibus magis quotidie violari, dum singulis legibus ad libitum vel addunt aliquid, vel detrahunt, plurima mutant, & inuertunt, integras crudelissimè sententias suis interpunctionibus dilacerant, atque fide passim (nisi manus perfidia) veterum librorum, editionem vulgarem penitus corrumpunt. In quo tamen (ut uno verbo agam) nec illis assentior, qui nihil in iuris civilis volumina multorum ignorantia, seu temporum temeritate licuisse credentes, impressorum se codicum religione liberare non possunt, quasi nihil absit, vel supersit: nec illis item obsequor, qui leuissimis saepius coniecturis, à communibus exempla-

ribus discedunt: cum & illud superstitionis, & au-
dacia sit, hoc & confidentia. Sed si suppetat ulla fir-
ma ratio, quae loquum aliquem mēdosum legendum
aliter admoneat, si verba satis non cohereant,
nec certus ex illis sensus aliquis constet, quem a qui-
tas ipsa non repellat, & lapsus facilem librarij,
vel ex similitudine dictionum, vel ex alia probabi-
li causa possit ullus ostendere, laudabo primus ho-
minis ingenium, sicut & illos reprehendam, qui ne-
se aliquid nescire fateantur, typographi vicio suā
insipientiam ineptissimē soleant excusare. Verum ta-
men illud ego unum ab his interpretibus desidero,
quod eo minus in eis esset requirendum, quò faci-
lius prestare potuissent. Nam cum ab alijs dissiden-
tes aliquam novam opinionem animis nostris intus-
lerūt, ego maxime vellem, ut errorem ante omnia
nobis penitus insitum, ratione conuellerent, & eius
radices extirparent, ne veritas vepribus, & spinis
suffocata parum effloresceret, & vel ex ea nullos
fructus, vel tenues & exiles caperemus. Ut uentur
etenim antiqui Iuriscōsultorum testimonijs, cum
quid constanter assēuerant, & eorum responsis se-
tuentur, quae si non perperam intelligant, uere nota
possunt reprehendi: si illa quandoq; non percipiāt,
sine

sine censoria praeferri notatione nō debent, ut à ve-
ri contēplatione, nec eorū argumentationibus, nec
authoritate distrahamur. αἰ γὰρ τῶν ἑναντίων ἀποδείξεις, (ut
Aristoteles est author) ἀπορίαι περὶ τῶν ἑναντίων ἰσθίν. ἀμα δὲ ἐπι-
μέλειον ἀντιπρὶς τὰ μέγιστα ληχθῆσθαι, προακηρόσι τὰ τῶν ἀμφοβητούτων
λόγων δικαιώματα. Contrariarū enim, inquit, opinionum
argumenta, dubitationem afferunt contrarijs. Illis
praeterea, quae dicentur, multo maiorem fidem ad-
hibebunt, qui prius audierint attētē, qua causa po-
tissimum aequitate nitantur, illi qui nobis obloquun-
tur. His ille multum persuasus, cum de primis agit
naturā principijs, & motum, tempus, infinitum, at-
que locum definit, cum ortum, & interitum mun-
di mira disputatione perscrutatur, & primā ex-
quirat rerū causam, ab hominum sensu remotissi-
mam, Parmenidem expendit & Melissum, Ana-
xagoram, & Democritum notat, Hermotimum,
Hipponem, & Heraclitū arguit, Diogenem, Tha-
letem, & Hesiodum libenter auscultat, Leucippū,
Anaximādrum, & Pythagorā audire nō graua-
tur, Cratillum, Alcmaonem, & Hippasum a quibus
auribus percipit, Empedoclem, Timaeum, & Xeno-
phanem differenter admittit, Platonem & Socrā-
tem diligenter attendit, & plures item alios nomi-
natim

natim insimulat, quos facile possemus numerare.
Cuius equidem exemplo non infcitè nos philosopha-
bimur, si primū, quæ veteres auctores inuenerint,
proferamus in medium, ὅπως τὰ μὲν (ut ille ait) ἀνερίθια
καλῶς λάθωμαι, εἰ δὲ μήτι καλῶς τοῦτ' ἔυλαβηθῶμαι. ut ea, inquam,
amplectamur, quæ dixerint sapienter, si quid verò
non item, hoc ipsum caueamus. οὐ γὰρ ἄλλοι γὰρ (ut alibi
testatur) χάριν ἔχουσιν δικαιοῖν τοῦτοισιν ὡς ἄν τις κοινωθήσεται ταῖς δόξαις,
ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιτιποδαμύτερον ἀπαφηναιμένοις, καὶ γὰρ οὗτοι συμβάλλονται τὴν
τῆν γὰρ ἔξω προσηκουσάντων. non solum enim, ait, his habenda
sunt gratia, quorum quis opinionibus consenserit,
verum illis itidem, qui aliquid, quãuis leuiter pro-
babile enūtiarūt. Nã et hi nos in eo adiuuāt, quod
ingenium nostrū acuerunt. Cum multos præterea
grauissimos philosophos in vanissimis somnijs enar-
randis, maximè verò refellendis, nō parū cōstet cō-
morari, nec minus summos Juriscōsultos, aliorum
per sapè confutare sentētias, in ciuilibus libris obser-
uemus, arrogantia suspicionē non vitabimus, si nos
eã curã negligamus, & adeò nostra nobis placeant,
ut & aliena cuncta sordiant, & illos, quos nōdum
audiuimus indicta causa condēnemus. Quare (le-
ctor) si tam bono sis animo, & ita natura comparato,
ut humiles nunquã in te cogitationes patiatur obre-
pere,

pere, sed te te tollas altius, & rerum fastigia conse-
cteris, si laudibus iurisprudentiæ nō mercenaria de-
lectaris, & ad primos honores consequendos aspi-
ras, quod in utrisq; iuris interpretibus videbitur
optimū aptissimè cōiunges, & ab alijs alia mutua-
beris, ut si quid in antiquorum desideres doctrina,
quod assequi difficillimis tēporibus librorū penu-
ria nequiuerunt, nouis ipse suppleas iuniorū inuē-
tis: quod autē his deesse senseris, ab illis petas, quo-
rum occasione consulto fortassis omiserunt. Quod
si multos tui nō dissimiles liceat nobis reperire, qui
barbariem nimis execrentur, atque magno bonas
omnes literas amore complectantur, qui sordi-
dam exuant veterum lacernam, & purpuram in-
duant aliorum, nec ullam se iam excusationem
habitueros hac atate considerent, si non emenda-
datè loqui caperint, non dubito quin breui Py-
thagoricam πωδὶ γυμνασία, videamus, & plures inter
nos Iabolenos, Caios, Celsos, Vlpianos, iterum na-
tos admiremur, aut interpretum, quot quot extite-
runt, luminibus saltem obstruamus. Sed ne quid
à me tandem iure tuo postules, ne quid sit am-
plius quod expectes, ecce tibi quod semper imite-
ris, D. Petri Velleij Guesaræ rarissimum exem-
plum,

plū, qui ex editissima eruditionis suae arce magnū
signum sustulit, ut de tota republica literaria, præ-
sertimq, de iurisprudētia, quā optimē singuli spe-
remus. In his etenim ipsius cōmentarijs magna quæ-
dam nos recreat sermonis elegantia, delectant an-
tiquitatis documenta, methodus inuitat ad legen-
dum, animum reficit varietas, pungunt aculei di-
sputandi, rapit ad se grauitas iudicij, singularis in-
genij vis exsuscitat, & tam multiplex rerum elu-
cet cognitio, ut nō artis angustiis alicuius terminis,
sed immēsis omnium disciplinarum finibus, vniū
hominis eximia contineri doctrina videatur. Nō
possum non hic apertissimum dicendi campum in-
tueri, nec etiam laudum tanti viri latissima spacia
nō mirari, per quæ sanē libēter exultaret, atq, laxis
habentis vagaretur oratio, si vel id huius instituti,
vel amicitie nostræ ratio pateretur, nec ille suis iā
virtutibus esset omnibus notior, quā laudatione
mea sit futurus. Longissimum enim esset persequi
quantis literarū ornamentis generis sui claritatem
magis illustrauerit, quantis animi dotibus excellat,
quā in omnibus rebus se se gerat prudenter, quā
ta pariter humanitate multorum animos cōciliet,
cum grandiora sint hæc omnia, quā quæ possint
dicendo

dicendo comprehendī, vel amicum exposcant lau-
datorem. Verū illud futurum affirmabo, si sese
diutius in perennibus studijs suis continuerit, nec
amplissimus vllus magistratus (cuius certē iam o-
lim fuit ille dignissimus) vtriusq, iuris candida-
tis talem virum inuiderit, & ab ocio literario ad
negocia publica cōuertērit, ut libris pluribus, quos
parat, iurisprudētia locupletet, & ab antiquis
exterorum iniurijs Hispanorum vindicet eruditio-
nem. Interim tamen humanissimē lector, his homi-
nis sapientissimi laboribus felicissimē fruerē. Vale
Salmantica Kal. Augusti. 1569.

ILLVSTRISSIMO PRAESIDI,
atque illustribus supremæ curiæ Senatori-
bus, Petrus Velleius Gueuara, Fer-
dinandi Senatoris
filius. S.

BONINE an mali plus afferat hominibus copia librorū, ac de varijs artibus multiplex, variaq; scriptio, sæpe egomet mecum & multum cogitavi. Nam vt opinionum inconstantiam, mutabilitatem sententiarum, flexiloquum disputandi genus quorundam iuris interpretum prætermittam, cum procellas religionis, turbines, & tempestates pacis, & ocij Christiani, & piarum mentium, veteres ex literarum monumentis, nouas animo calamitates colligo, potissimam video per eos, quorū de scriptis magna esset opinio multitudinis, inuectam esse partem incommodorum. Illi enim ad vitæ commoditatem, iucunditatemq;, ad facultates rerum & copias omnia referentes, omnes dolos, fallaciasq; quibus lites possint intendi, mira auiditate & discunt, & in scriptis relinquunt. Hi verò siue falsa utilitatis specie ducti, siue miserrima ambitione, cupiditateq; honorum, siue deprauatione potius & fæditate turpificati animi, omnia infima summis paria faciunt, turbant, miscent. Ex quo libris mundum referferunt, inanis quidem vocis sono decoratis, vt occultius si possint, nobis involubilitate verborum, tanquam in mulso venenum dent. Cùm autem imbecillitatem, fragilitatemq; memoriæ, atq; ingenij humani, infinitatem rerum atq; naturæ, & causarum penè omniū obscuritatem considero: non ego Alcæonis, aut Anaxagoræ, quos primos Clemens Alexandrinus scriptos libros edidisse

edidisse refert, inuentū hoc fuisse mihi persuadeo, sed Dei optimi donum, qui diuina illa præcepta, digito suo tabulis quàm optimè inscalpens, quasi manu sua manusuperimposita, hominum generi hos infundere sulcos monstrauit. Atq; ita edocti, quicunq; se natos ad iuuādos homines arbitrati sunt, summa ope sunt nisi, eos ex ignorantia tenebris in literarum lucem vocare. Cùmq; illis minori curæ non fuerit, qualis orbis post eorum mortem futurus esset, quàm qualis tunc esset: vt solent parentes morituri, quæ fugienda, sequendāue norunt, admonere liberos: lic ipsi quæcunq; maioribus vigilijs, magnoque labore consequuti sunt, ea, quasi consignatis tabulis, ad posteros transmiserunt editis libris, quorum dici vix potest, quanta vis sit ad animos commouendos. Quamobrem iam inde ab initio, cùm non de terminis, sed de religione ipsa, inter gentes, Christianosq; accerrima contentio esset, in hac arce præsidia suæ defensionis vtrique constituerunt. Nam & tunc quoque libros hæreticorum habere, crimen à nostris esse habitum, insinuat Augustinus. Et in tantum persecutorum rabiem excitatam, vt diuinos libros ignibus traderent, Hieronymus queritur. Atque interceptisse illos, & aboleuisse suos, quibus Christiana religio comprobaretur, arguit Arnobius. Quo circa ea hac in re habenda ratio videtur, & diligentia, vt neque ab honestissimo scribendi studio quisquam deterreatur, neque omnium scripta comprobentur: sed delectu habito, ea tantum in usu esse omnibus permittantur, quæ si minus utilia, damnosa certè non sint. Ita vos, pleno prudentiæ consilio fieri voluistis. Promulgatis enim legibus seuerissimis & pragmaticis sanctionibus, primum ne quis iniussu vestro liber exeat, néue ius imprimendi cuiquam, libro non inspecto, concedatur, decreuistis: librum
deinde

deinde qui in manus hominum venturus sit, probari primum ab aliquo, qui sententiarum veritatem perpendere, verborumq; omniū pondera examinare nouerit diligenter, præcepistis: typographis præterea, ne quid prælo committant, nisi permisso vestro, multa proposita, interdixistis. Quo non melius aut auctoritati vestræ, aut scribentiū honori, aut Reipublicæ emolumento, potuit esse consultum. Nunc quod pertinet ad hanc rem, quam paro: quamquam non is sum, qui putem posse me Iurisconsultorum, vel quintæ classis, luminibus obstruere, tamen in optimis auctoribus mediocriter versatum, in hoc studio me ætatem consumpsisse, nō inficio: itaque si quid mihi assumo, videor id meo iure quodāmodo vendicare. Id quidquid est, si quidquam est, multis certè nominibus debetur vobis. E quibus, quosdam in adolescentia iurisprudentiæ magistrōs, & viuendi habui præceptores: nunc omnes patres habeo cum patria communes: patres inquam, quibus, non ex me solum hi fructus, sed ab vniuersis, pro diuinis meritis, diuini honores debeantur.

^I
P E T R I V E L L E I I
G V E V A R A E A D L E G E M

primam Digestorum

L I B E R P R I M V S .

V L P I A N V S libro primo institutionum.

I V R I operā daturū prius nosse oportet, vnde nomē iuris descendat. Est autē ius à iustitia appellatum: nā vt eleganter Celsus definit, ius est ars boni & æqui, cuius meritō quis nos sacerdotes appellet. Iustitiā nāq; colimus, & boni & æqui notitiā profitemur, æquū ab iniquo separantes, licitū ab illicito discernentes, bonos nō solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoq; exhortatione efficere cupiētes, veram, nisi fallor, philosophiā, non simulatam affectantes.

De origine iuris necessariō cognoscenda,

P R a c e p t u m i l l u d , v t n o s m e t i p s o s n o s c a m u s , c u i u s t a n t a v i s e s t , t a n t a s e n t e t i a , v t n o n h o m i n i c u i p i a , s e d D e l p h i c o D e o t r i b u a t u r , C i c e r o l i b r o

A t e r t i o

tertio ad Q. fr. nō ad arrogantiam minuendam solum esse datum intelligit: verum etiam ut bona nostra norimus. Et lib. quinto Tusc. qq. de philosophia naturali agens, hac tractanti animo, inquit, et noctes et dies cogitanti, existit illa à Deo Delphis præcepta cognitio: ut ipsa se mens vitis exutā cognoscat, coniunctamq; cum diuina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio compleatur. Atq; libro primo de legibus in fine, ait. Nā qui se ipsum norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum, ingeniumq; in se suum sicut simulachrum aliquod dedicatum putabit, tantoq; munere deorum, semper dignum aliquid et faciet, et sentiet. Digna certè ali viro expositio, ac sententia, tantā tribuere hominibus dignitatem, ut vel cum Deo consociatos se possint existimare, neq; quicquā iudicare se dignum, quod caducum, fragile, mortaleue sit, sed summum illud bonū, purum, atq; perfectū, quo omnia referri necesse est, et ad quod adhibitis omnibus machinis, aquis velisq; oportet hominem contendere, earum rerū conseruatione, quas natura præscribit, scientia scilicet, æquitate, iustitia, veritate, virtute. Atque omnium quidem virtutum, reliqua, ut ita dicā, quæ sua sunt quarunt, iustitia

iustitia tantum, societatem coniunctionis humane, munificè et aequè tuens, communi seruit utilitati. Cuius fruendæ causa, olim et bene moratos reges constitutos Herodotus ait, et statuta iura, legesq; sancitas, simillimum veri est. Iustitia autē qui daturi sunt operam, prius nosse debent, quid ipsa iustitia sit, quid ius, et unde nomen iuris descendat. Omnis enim in quærendo, quæ via quadā et ratione habetur oratio, præscribere primum debet, ut quibusdā in formulis ea res agatur, ut inter quos differitur conueniat, quid sit id de quo disputatur. Ita docet faciendum Plato in Phædro, siue de pulchro. Et Cicero lib. 1. offic. et secundo de fin. bon. et ma. et iurisconsultus in. l. 1. ff. de reb. credi. et in. l. 1. ff. de offici. Præf. prat. Atque hoc est quod Vlpianus ait. Iuri operam daturū prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Non est enim in hac re præstanda fides Accursio, dum exponit, oportet, id est, decet: affirmatq; hoc verbum improprie ab Vlpiano positum. De qua re grauis est inter doctores contentio, dum alios glossæ auctoritas decipit, alios Vlpiani vaduet nomen insigne, ne virum de literis benemeritum credant, merito ab Accursio notatum.

5 Ego de hac re quid sentiam, breuiter demonstra-
 bo. Duæ sunt cuiusq; rei propositæ interrogatio-
 nes, sine quibus id de quo quæritur, intelligi nullo
 modo potest. Nonnumquam enim nomine nobis pro-
 poposito, rationem ipsam quærimus, nonnunquam ve-
 rò rationem assequuti, nomen inuestigamus. Quod
 cum in alijs rebus quàm plurimis, tum maxime in
 numero reperitur. Cuius nomen quidem par est,
 ratio autem, numerus in duo equalia diuisibilis. Un-
 de idem in utroq; significamus, siue nomen interro-
 gati, rationem, siue rationem interrogati, nomen red-
 damus. Quandoquidem, unam eandemq; rem no-
 mine quidem paræ, ratione verò, numerum in duo
 equalia diuisibile appellamus. Hoc igitur est quod
 à iurisconsulto existimo significatum dum ait. Fu-
 ri operam daturum, prius nosse oportere, et nomem
 iuris, quod est à iustitia deductum, et huius propo-
 sitæ rationem, quæ eleganter Celsus diffinit dicens,
 ius esse artem boni et æqui. Quasi dicat, eum qui
 res aliquas sufficienter intellecturus est, quæ et no-
 men et rationem habent, nomen non solum scire
 debere, sed et callere quoque rationem. Quinimo,
 si precij alicuius futurus est, turpe ipsi esse, rerum
 magnitudine et pulchritudine excellentium, tam
 nomina

nomina quàm rationes ignorare. Cum enim omnis
 controuersia, aut de re soleat, aut de nomine esse,
 utraq; earum nascitur, si aut res ignoratur, aut
 erratur in nomine. Legum verò conditori, atque
 custodi, et ei, quem virtute præstare cæteris con-
 uenit, nihil maius, quàm fortitudo, temperantia,
 iustitia, atque prudentia. De quibus interpretes,
 doctores, legum conditores, rerum publicarum cu-
 stodes, cæteros qui scire cupiunt, vel punitione, et
 increpatione indigent, docere debent: quasq; vires
 virtus, quas vitium habeat explicare, tanquàm vir-
 tutis, et excellentia alijs in exemplum propositi. Est 6
 autem ius à iustitia appellatum. His verbis do-
 cemur, ius ad eò à iustitia pendere, ut quidquid à
 vera iustitia alienum sit, ius id esse nullo modo pos-
 sit. Quod non solum vidit Marius Salomonius,
 qui hunc intellectum dicit hætenus à nemine per-
 ceptum: sed et Fortunius Garsia respondens Bar-
 tolo, asserenti non esse necessarium scire principium
 ex quo, sed principium propter quid. primo, inquit,
 considerabam iura adducta per Bartolum, non pro-
 bare, scilicet. In nec natales, et l. ad probationem.
 C. de proba, ubi ex patris, vel matris qualitate, non
 probatur talem esse filium, quia contingit quandoq;

ut filius sit seruus, & mater libera. Illa igitur iura loquuntur in principijs, quæ respōdent ad originem materialem, quæ non seruant qualitates necessarias, in his, quæ ab eis sequuntur: nos verò loquimur in principijs, quæ eandem rationem seruant in derivatis. Nam ius à iustitia dicitur, ut in lege nostra, & nullum potest esse ius, quod à iustitia non
 7 deriuetur. Hinc inter iurisperitos illa exoritur quaestio, quæ eorum nonnullos angit, ac satis superq; fatigat, fuerit ne iustitia prior iure. De qua, ne eorum morer referendo, refellendoq; sentētias, meā ego coniecturam paucis aperiam. Naturalis quidem ingenij, memoriæ, ac voluntatis facultas, ad potentiam pertinet. Ex qua circa potētiam acquisita virtute, egregia illa oritur operationum ordinatrix, gubernatrixq; sapientia, & in actionibus, ad eandem sapientiam pertinens ordo seruatur. Vnde illud efficitur, ut in arte, sicut & in diuinitate, & natura, sapientiam, atque potentiam sese in vicem petere, quomodo in unum congregiantur, facile videamus. Atque hoc modo si attente animaduertimus, haud difficile cognoscemus, iustitiam, ut pote quæ potentia sit, priorem esse omni iure, quandoquidem ex potentia sapientiam oriri, sapientia
 verò

verò ius, id est, artem boni, & aequi seruari demonstrauimus. Iustitiam autem voluntatem esse, & ius artem nominari, ex iurisperitorum definitionibus clarè patet. De quibus pauca dicamus, primū verò de iustitia, deinde de iure, quod ab ea deductum, appellatumq; cognouimus:

De definitione iustitie, & quomodo hæc virtus, unicuiq; quod suum est, tribuat.

LIBER SECVNDVS

IUSTITIA est constans & perpetua voluntas, ius suum cuiq; tribuendi. Quæ quidem definitio, & si Ulpianum in. l. x. ff. de iust. & iur. & Justinianū in. S. i. eo. tit. in instit. auctores habeat: necessarium tamen videtur, eam latius explicare, parum est enim ut non subuerti possit: tam multa sunt, quæ aduersari videantur, atque illud in primis. Fundamentū iustitiæ est fides, id est, dictorū, cōuentorūq; cōstantia, & veritas, ut ab oratore lib. i. offic. & a iurisperito in. l. i. ff. de const. pec. & à c. iuramenti 22. q. 5. docemur, & in. l. i. ff. de pact. Ulpianus ait: Huius edicti equitas naturalis est. Quid enim tam congruū est fidei humanæ, quam ea, quæ placuerunt inter eos seruare? Sed incidūt

sæpe tempora, cum ea quæ videtur maximè digna esse iusto homine, eoq, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntq, contraria: neque enim si is qui apud me pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, ei ego reddam depositum, magis quàm insanienti gladium, neque turpiter data fides ullo modo est adimplenda, ut in. l. iuris gentium. S. si ob maleficium, §. S. prator ait. ff. de pactis, dicitur, et in. l. pacta quæ contra. C. de pactis. Ergo non rectè describitur iustitia constans, §. perpetua. Intelligendum est fundamentum iustitiæ esse fidem, ad præcepta iuris dictam fidem referendo, id est, ut ita unicuiq, suum tribuas, dum honestè viuendo, neminem ledendo, id facere possis. Non sunt verò promissa seruanda, quæ velijs quibus promisseris sunt inutilia, vel quæ tu reddendo, non è rep. facis. Quare quod ait iustitiam constantem, §. perpetuam esse volūtatem, seruandi, intellige, iuris præcepta, ita unicuiq, suum tribuentem, ut tamen §. honestè viuat, §. alterum nō ledat. Vnde §. quæ metu, dolore malo gesta sunt, legibus improbantur, pratorio iure rescinduntur, nec qui ita promisit, fidem cogitur adimplere, nimirum quia §. qui promisit leditur, §. qui extorsit, in honestè in-

iusteq,

iusteq, egit. Illam autem mutationem, non præclarissimæ virtuti iustitiæ accidere, sed rebus ipsi, verbis diui Augustini, enarratione in psalmum quintum, docemur, dum ait. Illud quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est. Tanquam, verbi gratia, si cui gladius commendatur, §. promittat se redditurum, cum ille qui commendauit, poposcerit, si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est, tunc non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere. hæc ille, quasi diceret, veritas illius præcepti, depositum reddendum esse, vel fidem promissam custodiri oportere, nunquam mutatur, nisi conuersis rebus, ex quarum varietate contraria nascitur veritas. nisi enim qui apud me gladium sanus deposuit, insaniret, iustitia reddendi depositum nunquam deficeret. Vbi verò furor illum occupat, non voluntas mutatur reddendi unicuiq, quod suum est, sed subiectum potius, ut iniuria illi fiat, si sibi reddatur. Deinde quandoquidem de humana iusti-

tia

tia nobis nunc sermo est, indoctè ab Vlpiano scriptum videtur, constans, & perpetua voluntas. Quid enim erit stabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiat mutationem, cum omnis status noster in perpetuo motu consistat? aut h. de non alien. S. ut autem colla. 2. Accursus illa duo verba, constans, & perpetua, extrahenda putat, media luce non videns, in diffinitione iustitiae, perpetuum, constantiamque sumi, non ratione actus, qui nunquam interrumpitur (id enim soli Deo convenit) sed ratione obiecti, dum quis omni eventu debite, & secundum legem operari proponit. Sed

5 venio ad aliud. Cicero in topicis ad Trebatium ita inquit, omnium causarum in alijs inest constantia, in alijs non inest, in natura, & in arte constantia est, in ceteris nulla. ex qua divisione illud elicitur, ex omnibus causis naturam, & artem constanter agere, & in hoc nullum dubium. Nam quod unus idemque artifex, ex eadem saepe materia, non similes statuas format, non est hac in arte varietas, sed in artificis manu. Et id est in natura, in qua si quid monstruosum efficitur, non natura vitio, sed materia potius, id fieri dicendum est, ex qua id quod efficere contendebat, non ita potuit natu-

ra

ra explicare, reliqua vero omnes causas, siue perspicuas, siue latentes, inconstanter omnino agere dicuntur, neque in eis ulla inest constantia, quales sunt casus, voluntas, perturbatio, & habitus. Quod si voluntas mobilis prorsus, variabilis, & inconstans dicitur, non solum dum perfectissimam iustitiae virtutem, voluntatem esse dixit, lapsus videtur Vlpianus, sed & cum voluntatem constantem, perpetuamque nominavit. Repugnant siquidem inter se, atque e regione discrepant, & voluntatem esse, & constantem, ac perpetuam esse. Pro cuius enodatione quaestionis paulum ante dicendum est. Plato quae

6 cumque videmus, aut tangimus, sensibusve corporis percipimus, in illis non numerat, quae esse propriae putat: nihil est toto quod praestet in orbe, cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago, fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur. Et id quidem est, quod dicebat Heraclitus, in idem flumen bis descendimus, & non descendimus: manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est, quae propter ille, quem dixi, Plato, formas rerum constituit, quas gigni negat, & ait semper esse, ac ratione, et intelligentiae contineri, cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno, & eodem statu: has esse

quas

quas neque aspicere oculis, neque manu tāgere,
 neque percipere sensibus possumus, cogitatione tā-
 tum, & mente complectimur. Nō ille ait esse ani-
 mas, aut formas cœlo delapsas, ut falsò referrī so-
 let, sed perfectam notitiam vnius cuiusq; rei, ut cū
 virtutem diffinimus, & consideramus non qualis
 est in Catone, aut Socrate, sed per se solum. Et hęc
 esse mentem, sententiamq; Platonis manifestè ap-
 paret in libro quinto, & sexto, & decimo de repu-
 blica, & in Hippia maiore, siue de pulchro, mul-
 tisque alijs in locis, & docet apertè Cicero in ora-
 tore ad Brutum, & in Academicis quæstion. &
 Philon lib. unico de mundi opificio, & Seneca lib.
 8. episto. ad Luciliū. Huius igitur mysterij nō igna-
 rus iurisconsultorum eruditissimus Vlpianus quē
 admodum egregius quisque artifex, pulchrum
 aliquod simulacrum facturū, neminem cōtem-
 platur, è quo similitudinem ducat, sed mente con-
 cipit speciem pulchritudinis quādam eximia, quā
 7 intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem,
 artem, & manū dirigat, ita & ipse iustitiā diffi-
 nitionem traditurus, neminem, neque ipsum qui-
 dem Aristidem, cōtemplatur, ex quo ipsam dedu-
 cat, sed ipsiusmet iustitiā perfectā, & absolutam
 effigiem,

effigiem, formam, & speciem, describit, quam cō-
 stantem prorsus, immobilem, ac perpetuam esse, ne-
 mo sanæ mentis negauit. Sic ego illa iurisconsulti
 verba accipio in l. penul. ff. de iust. & iur. Prætor
 quoq; ius reddere dicitur, etiā cum iniquè de-
 cernit, relatione filicet facta nō ad id quod ita
 Prætor fecit, sed ad illud quod Prætorē face-
 re cōuenit, & in l. sed licet is. ff. de offi. pr. & si. quod 9
 Proculus ait, sed licet is, qui prouintię præest.
 omniū Romę magistratuū vice & officio fun-
 gi debeat, nō tā spectandū est, quid Romę fa-
 ctū est, quā quid fieri debeat. Egregiè sanè si qui
 de iudices, vel humilium preces, vel calamitosorū
 lacrimæ, vel propinquorum affinitas, vel amico-
 rum familiaritas, aliquando mouent, & à recto de-
 uiare ferè inuitos cogunt. Errare possunt iniqui, si
 qui erunt legumlatores, imperiti iurisconsulti, in-
 continentes, & numarij iudices, ipsa verò iustitiā
 virtus, & bonitatis, atque æquitalis ars, cōstans, &
 perpetua volūtas est, suū unicuiq; tribuens, immo-
 bilis prorsus, nec variabilis. Nihil est enim a gra-
 uitate iustitiæ, errore, leuitate, temeritate, disun-
 ctius. In primis igitur hoc sapiēter, ut omnia alia, 10
 iurisconsulti iustitiæ virtutem appellant, non prin-
 cipium

cipum decreta non populorum iussa, non Prætorū
 edicta, nō iudicum sententias, sed absolutam, per
 se constantem, ac perpetuam voluntatem reddē-
 di unicuiq², quod suum est. Verū adhuc iuriscō
 sultum non rectē diffinisse probari posse videtur
 11 tali ratione. Vlpianus ait. Iustitia est constans, &
 perpetua voluntas ius suum unicuiq², tribuens:
 Cicero verò, iustitia est (inquit) habitus animi
 communi utilitate conseruata suam cuique tri-
 buens dignitatem. Sed habitus & voluntas ma-
 ximè differunt, ergo non rectē ab vno eorum dif-
 nitum est. Ciceronis verò diffinitionem optimam
 esse: Vlpiani verò non ita, probatur partium enu-
 meratione. Tria sunt quæ sunt in anima, affe-
 ctus, potentia, habitus, horum aliquid ipsam vir-
 tutem esse necesse est: sed non affectus, neque po-
 tentia, ergo habitus virtus est. Quod non sit affe-
 ctus patet ex Aristotel. libro. 2. ethi. cap. 5. Siqui-
 dem non is, qui metuit, aut irascitur, vituperatur.
 Sed qui modo quodam metuit, aut irascitur, re-
 prehenditur. Qua similiter ratione in potentia
 non esse virtutem concluditur. Ex quibus duo fa-
 cile deducuntur corollaria. Primum aduersus
 Vlpianum huiusmodi. Potentia non est virtus, bo-
 ni

ni enim non dicimur, aut mali, quia possumus ira-
 sci, vel timere: sed voluntas est potentia, ergo in
 voluntate non inest virtus, & consequenter iusti-
 tia non est voluntas. Alterum secundum Cicero-
 nem est, virtutem necesse est esse vel affectum,
 vel potetiam, vel habitum, sed nec affectus, neque
 potentia virtus est, igitur habitus est. Iterum &
 pro oratore contra iurisconsultum facit. Virtus in
 actione consistit: sed habitus agimus, voluntate pos-
 sumus, ergo virtus iustitia in actione est, id est, in ha-
 bitu, non in potentia, hoc est, in voluntate. Proba-
 tur istud fundamentum manifesto principio, quia
 affectus sine effectu non punitur. l. cogitationis. ff.
 de pœnis. l. 1. ff. quod quisque iur. l. vulgaris. S. qui
 furti. ff. de furt. Præterea iurisconsultum urget,
 iustitia constans & perpetua est: sed voluntas,
 ut supra probauimus, inconstanter agit, habitus
 verò licet non propria natura, quia tamen natu-
 ram imitatur, constanter agere dicitur, ergo iusti-
 tia habitus est, non voluntas. Considerandum
 est pro huius explicatione questionis, voluntatem 13
 amplissimam, latamque nimium rem esse, neque
 enim solummodo ea volumus, quæ agere pos-
 sumus, sed & ea, quæ in nostra non sunt
 potestate

potestate, ut lib. 3, eth. cap. de electione nos docet Aristoteles. Quo fit ut & suprema virtutes, atque ultimum bonum finem vellimus: quinimò nisi quod rectè honestèq; volumus, velle nos non putat idem philosophus: quicquid verò studiosus (si modò studiosus sit) velit, & volūtate affectet, absque dubio illud simpliciter, & re vera bonum esse scribit eodem libro. 3. cap. de voluntate. Si igitur quicquid studioso voluntate est affectabile, nō minus simpliciter, & re vera bonum est, quā id quod habitu, vel electione geritur, involuntate ergo non angustior, quā in ipso habitu reperitur iustitiæ candidissima virtus. Quæ ratione arbitror iustitiæ difiniisse. S. Thomā, habitum secundū quem perpetua volūtate in suum unicuiq; tribuit: iuriconsultū autē iustitiā appellasse volūtatem suspicor, tū prædicta ratione, tū etiā, quòd legumlatoribus tū volūtate, quā actus considerāda sunt, ad præmia, penasq; statuēdas, qui est finis iuris civilis, ut latius infra dicemus. Si enim suis terminis non contenta volūtate, veluti factū punitur, ut in. c. nuper, & in. c. fina. de bigam. & in plerisque volūtate pro facto reputatur, non minus cum de iustitiā, iniustitiæ agitatur, voluntatem quā habitum considerare

derare oportet. Quòd si sic est, prudētissimè iuriscōsultus verbum voluntatis apposuit, sub quo habitus intelligeretur. Nā si voluntati legibus præmiū, ac pena constituitur, & rectè facientes præmijs afficiendos, & sceleratos homines, improbosq; ciues vinculis, & damno coercendos, facile intelligemus. Præterea si volūtate, (ut iam probauimus) boni est (omnes enim ea, quæ bona videntur, sequuntur, fugiuntq; cōtraria) quæ cōstans, & perpetua voluntas erit, habitus erit, quandoquidē habitum appellamus, animi, aut corporis constantem, & absolutam aliquam in re perfectionem, ut virtutis, aut artis alicuius perceptionem. At si habitus animi, aut corporis est cōstans, & absoluta aliqua in re perfectio, habitus quidem virtus erit, quod nemo euerit. Et inde est, quod non indoctè Marcus Fabius Victorinus notabat, ab Aristotele, atque à Cicero, in bonis frequentius habitū poni, quā in malis, licet etiam in veritate malorum quoq; sit habitus, ex eo nempe, quia habitū dicimus ab eo, quod habere voluerimus, natura autē nostra talis est, ut nunquam mala velimus. Nam simul, atque obiecta species est cuiuspiam, quod bonū videatur, ad id adipiscendum, impellit ipsa natura. Id cum

constantem, prudenterque fit, eiusmodi appetitionem appellamus voluntatem. Igitur de primo ad ultimum, constans, & perpetua voluntas suum cuique tribuendi, virtus iustitiæ erit. Quam argumentationem, quò facilius intelligatur, paulò adhuc brevius colligamus. Cōstans, & perpetua volūtas habitus est: sed in habitu inest virtus: ergo constans, & perpetua volūtas est virtus. Ita dum de primo ad secundum, de secundo, ad tertium argumentamur, illud quod mediū est, extrema inter se rectè cōiungit. Caterū quòd cōstans, et perpetua volūtas sit habitus, argumentis à diffinitione concluditur, & ab annotatione, quæ firma esse, probant Bartolus, Alexander, Iasson, Felinus, Euerardus, Cantiuncula, & concors doctorum sententia. Esse verò hunc verissimū huius dispositionis sensum, vel ex ipsis verbis clarissimè patet. Iustitia (inquit) est cōstans, & perpetua voluntas. Quibus verbis dispositio apertissimè notatur: sequētibus verò habitus, dum ait, ius suū cuique tribuens. Sed & aliter adhuc rem istā possemus considerare. Quæ admodum bona, vel mala, virtutes, ac vitia nullo sensu sentire quis quā potest, sed solum modo intellectu sensui supereminente cognoscere, ita et illa

prose-

prosequi, amare, atque amplecti solummodo voluntate potest. Sensus enim cum modicè capaces sint, facile implentur, satianturque: neque possunt, nisi quæ sensibilia sunt bona, & quæ sensus iudicat convenientia deligere. Voluntas verò quæ, ut supra diximus, infinitæ capacitatis est, & durationis æternæ, cum sit potentia, & à corpore separabilis, & in æternum permāsura, virtutes amplectitur, atque amat: neque ulla re quantūlibet præcellentis faciat, nisi summo bono. Quod nō de ea voluntate intelligendū est, quæ sensui cōiuncta est, et ad sensus iudicium movetur, hæc enim vocatur appetitus sensitivus, in quo homo, cū brutis animantibus convenit. Sed de ea, quæ superior, cōiuncta est cū intellectu, per quā homo id quod intellectus iudicat bonū, amat, & prosequitur, mandatque executioni: causaque est omnium virtutum, atque vitiorum: causam autē dico, salva semper quæ patri luminū adhibēda est reverentia, à quo omne datū optimū, & omne donū perfectum esse fateor, atque etiā profiteor. Ex eo igitur quod vitia in nostra esse potestate, neque peccare quæquā nisi assensione dicimus, virtutisque cōstatiā, et firmitatē ex his rebus opinamur cōstare, quibus assensa est, & quas approbavit, illud cōsequitur,

ratione voluntatis hominem posse mereri, vel non
 mereri, dignumque fieri premio, seu pena. Ceterorum
 17 verò animalium nullū retributione bona, vel ma-
 la dignum fieri, cum meritum, & demeritum, præ-
 mium, & punitio illic locum habeāt, ubi est actuum
 liberum dominii: ubi quod fit, liberè fit: ita ut possit
 qui facit, hoc ipsum, si velit, non facere. Nam ut
 D. Augustinus ait lib. 22. contra Faustum, iustitia
 nisi esset in voluntate, non esset in potestate: porro
 si in potestate nō esset, nullū premiū, nulla pena ius-
 ta esset. Vnde ratio deducitur tex. in. c. nasci. 56.
 dist. & in. c. sciendum. 8. q. 1. & S. ex voluntate &
 c. merito, et. c. illa 15. q. 1. Ex eodemque fonte derivā-
 tur noxales actiones, totusque titulus si quadrupes pau-
 periem fecisse dicatur. Vbi puniuntur quidem ani-
 malia bruta, non quòd actu suo penam ullam me-
 ruerint. Nec dici potest animal iniuriam fe-
 cisse, quod sensu caret, inquit Vlpianus in. l. sed
 & si. S. igitur. ff. ad leg. Aquil. & in. l. 1. S. ait præ-
 to. ff. si quadr. pau. fe. Quæ enim in eo culpa sit, cum
 sue mentis non sit? quemadmodum si quadrupes
 damnum dederit, Aquilia cessat, aut si regula ceci-
 derit. Sed ob id leges ciuiles etiā in bestias animad-
 18 uertunt, quòd talis punitio, potius ad dominorum
 ipsorum

ipsorum damnum, ad quos attinet, spectat: ut dis-
 cant videlicet possessores diligentius sua iumenta
 obseruare, & legum dictis obtemperare. Quæ etiā
 ratione, vestri ordinis, patres amplissimi, iustissi-
 mo decreto, nostra superiori etate, mula in quibus
 quis sedisset, iugulabantur. Quòd verò is, qui cum
 iumento coit, simul cum ipso iumento comburatur,
 ob id iura, etiam diuina disponunt, primum ut D.
 Augustinus lib. 3. questionum in leuiti. vult, & re-
 fertur in. c. mulier quæ accessit 15. q. 1. quia tali fla-
 gitio contaminata pecora, indignam reficāt facti
 memoriam: deinde, meo iudicio, ut magis ab ijs de-
 terreantur rationalia animalia, cum & in irratio-
 bilibus bestijs talem videant capitalis sententiæ se-
 ueram exerceri vindictam. Postremò aptè ab 16
 Vlpiano iustitiam appellatam voluntatem, inde
 quoque probari potest maximè, quia si in reliquis
 virtutibus voluntas consideratur, multò quidem
 magis in ipsa iustitia consideranda est: quæ cum
 non solum sibi, sed etiā alijs laboret, unicuique quod
 suum est tribuat: id autem efficere nisi voluntate
 nemo possit, cuius enim tanta vis est, autoritas,
 atque potentia? vel impossibile est quæquam iustitiam
 esse, & sic vanum esset iustitiæ nomen, vel cōstans,
 B 3 & per-

Et perpetua voluntas suum cuique tribuendi, vir-
 tus iustitiae erit. Sunt enim in nobis opinio, conatus
 appetitus, et declinatio. Non sunt aut in nobis cor-
 pus, possessio, gloria, et principatus, si modo Epit-
 to credendum est. Quod si corpus non est in nobis,
 sed potius ut Plato ait, sicut sutor subula: ita ani-
 mus corpore utitur veluti instrumēto, ad ea pera-
 genda, quae intellectus appetenda voluntati propo-
 nit, virtutem nisi in his, quae in nobis sunt, nemo sa-
 20 nam mentis collocabit. Illud nunc restat tractandum,
 qualiter haec constans, et perpetua voluntas, tribuat
 unicuique quod suum est. Quod quidem si à princi-
 pio, origineque disputandum esset, illud in primis qua-
 rere, et investigare conveniret, quid sit homini à
 natura tributū, cuius muneris colendi, efficiendique
 causa nati, et in lucē editi simus, quae sit coniun-
 ctio hominū, quae naturalis societas inter ipsos, quae
 licet sint iucundissima considerationis, et cogitatio-
 nis pulcherrima, cum tamē non sint omnia hoc tēpo-
 re differēda, ut quo ordine capimus, pergamus, ad
 21 huc ab Ulpiano non apte scriptū videtur, cum de vera
 iustitia loquat ur, suum cuique tribuere. Sūt nam
 quae privata a nulla, natura: sed aut veteri occupa-
 tione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victo-
 ria,

ria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactioe, condi-
 tione, sorte. Nam ut à iuriconsulto dicitur in. l.
 ex hoc iure. ff. de iust. et iur. Ex hoc iure, gentium
 scilicet, introducta sunt bella, discretæ gentes
 regna cōdita, dominia distincta, agris termi-
 ni positi, edificia collocata, cōmertū, emptio-
 nes, venditiones, locationes, cōductiones, obli-
 gationes institutę. Intelligēdū est ex eo, quia suū
 cuiusque sit, eorū, quae natura fuerant cōmunia,
 quod cuique obligat, id quēq; tenere convenire: eo
 si quis sibi plus appetat, violare ius humanae societatis:
 earū verò rerū, quas ad cōmunem usum homi-
 nū natura genuit, cōmunitatē necessariā esse, et cō-
 munes utilitates afferre decere. Nā quēadmodū
 theatrū, cum sit cōmune, rectē tñ dici potest, eius
 esse eū locū, quē quisq; occuparit, sic in orbe mundo
 ne cōmuni, non aduersatur ius, quominus suū quid
 que cuiusque sit. Quidquid verò sine detrimēto cō-
 modari potest, id tribuatur vel ignoto, cū et quae in
 terris gignūtur, ad usum hominū creata sunt oīa,
 et homines geniti hominū causa: ut ipsi inter se ali-
 ali, pdesse posset, semperque aliquid ad cōmunē utilita-
 tē afferret. Sed et aliter quoque, non absurdē dici pos-
 set prima cōsideratione, id est, iure naturali pri-

mauo: omnia esse communia, consensu verò hominum, hoc est iure gentiū, res omnes diuisas, & particularia dominia distincta. Nam si à principio id homines non consensissent, rerum nequaquā fieret partitio, sicut facta est, quod satis consonat prædictæ dispositioni, ex hoc iure. Tertiam adhuc rationem, talem cogitabam. Ratio, qua naturaliter omnia sunt cōmunia, non intelligenda est, ut exempli gratia huius domus, illiusue agri, siue fundi nullus sit dominus, hoc enim modo nemo illum araret, nemo sereret, nemo domum adificaret. Intelligendum est omnia, in uniuersum scilicet cōsiderata, omniū esse: eodem modo, videlicet generaliter, coniunctionis, & societatis hominum. Ita ut qui seminat, ac metit, non id sibi soli, sed communitati hominū faciat. Et idē de fabris, sartoribus, sutoribusq; ac reliquis, qui et si privatè domi sibi laborant, rei publica tamen seruiunt. Quod si aliter fieret, vel nemo agros, nemo ciuitates curaret, vel qui potior viribus esset, expulsis, ac reiectis reliquis, quæ sibi potiora videretur, occuparet, diuisione verò rerū sit, ut verè existimentur omnia communia, & agricola mercatori areret, mercator militē vestiatur, miles iuris consultos defendat, iurisperiti principes consilio

lio adiunget: principes gubernent, ac moderentur provincias, in quibus omnes in pace, ac tranquillitate uiuamus, quod propriū iustitiæ munus est, legū finis, & iurium, ac iudiciorū scopus. Quare videndum est ei, qui rempub. administrat, suum ut quisq; teneat, neque de bonis priuatorū aliqua diminutio fiat, ne quis per aduersarij sui potentiā opprimatur, ne quis iniquū lucrū, aut damnum sentiat, ne potentiores viri humiliores iniurijs afficiant, neue defensores eorū calumiosis criminibus insectentur innocentes, ut docemur in. l. nec quicquā. s. sed et si quis. ff. de offi. procōsul. & in. l. illicitas in prin. et in s. ne potentiores. ff. de offi. præsi. Atq; huic quidē interpretationi satis cōsonat, quod Lactātius lib. 5. c. 5. de aureo seculo agēs, non existimemus, inquit, nihil omnino tunc fuisse priuati, sed more poetico figuratū, ut intelligamus tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges nō includerent, nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad cōmunem usum proprij laboris admitterent. Quibus ita expositis, quandoquidē dictū est supra, in hoc iustitiā à reliquis virtutibus moralibus differre, ob idque præclarissimā mereretur esse, quod nō solum sibi agat, sed et alijs procuret, et totius repub. sibi curā

vendicet, operæ pretiū erit videre, qualiter iustus
 dū unicuique quod suū est, tribuit, primum sibi ipsi tū
 corpori ad vitā necessaria, tūm animo ad bonū in-
 telligendū, cōsequendūq; ministret. Deinde quali-
 ter se erga rēpū. habeat, quā præceteris habere cha-
 rissimā, bonos decet viros: cuiusq; salus, ac dignitas
 prior omni dñatione, & domesticis cōmodis esse de-
 bet. Nā Deo, quomodo quod suū est tribuendū sit,
 abudē docuit Plato in Euthyphro, vel de sanctita-
 te: præterquā quod à nostræ religionis sacris docto-
 ribus satis sumē docti. Quod autē ad primū attinet,
 animi partibus, seu potētis, et nō tribuere quod re-
 tē possis, & tribuere quod nō sit equū, cōtra iusti-
 tiā est. Sunt autē multo magis secundum naturā tri-
 buta homini excellētias animi, & magnitudo, itēq;
 comitas, iustitia, liberalitas: quā voluptas, quā
 vita, quā diuitiæ. Quæ cōclusio licet eū habeat au-
 thore, ut testibus nullis indigeat, explicabitur tamē
 apertius, si primo, quæ obijci possūt, diluerimus. Vi-
 detur nāq; nimis obstare, quod in Genesi scribitur,
 fēlus, et cogitatio humani cordis in malū, pna
 sūt, ab adolescētia sua. Et cōsiliū, quoq; Toletanū
 ut refertur. c. 1. r. 2. q. 1. Omnis, inquit, etas ab a-
 dolescētia sua, in malū prona est. Quæ tñ s, uti
 decet,

decet, intelligamus, minime ijs quæ diximus aduer-
 santur. Suprà dūm Delphicū illud oraculū inter-
 pretabamur, proximā, simillimāq; esse hominis ani-
 mā diximus diuinæ menti, nec ullā esse rē, ubi aper-
 tius, ac proprius se ipsam possit intueri, propriāq;
 cōtemplari formā, atq; naturā, deniq; uti sit nosse,
 quā in perpetua, incōprehensibili, æterna, atq; di-
 uina mente. Id Plato in primo Alcibiade, siue de
 natura hominis, aptissima probat similitudine, di-
 cēs. Quem admodū omnia mēbra, ita demum pro-
 priā cognoscunt naturam, seq; ipsa percipiunt, si in
 id quod simile est, respexerint, quo fit ut oculus se
 ipsum maxime cernat, cum in oculū inspicit: in id-
 que præterea intendit, quod oculi optimum est, &
 quo oculus ipse videt, eodem pacto & anima, si se
 ipsam noscere vult, in animā intueatur, in eūque
 præcipue locum animæ, in quo inest virtus animæ
 sapientia, in quo sanè quis intues, & omne diuinū,
 Deum scilicet, & sapientiā cernens, se ipsum pror-
 sus agnoscet. Hæc ille: dicemus ne igitur immorta-
 lem animum, cōsiliū, rationis que participem, quem
 Deus ipse ad sui imaginem, & similitudinem fa-
 ctum, ut dominum, atque imperatorē obedienti
 præfecit corpori, in fada vitia, humanas, & fragi-
 les

les voluptates, tetra scelera, & euitanda mala propria natura duci, & inclinari potius, quam aequitate, continentia, bonitatem, atque iustitiam appetere? non reor: probauimus siquidem supra cupere hominis voluntatem quod rectum est: desiderareque summum illud bonum, quod ut operibus bonis consequamur, nati, & in lucem editi sumus. Qua vero causa ideueniat, quod ex Genesi allegauimus, ut sensus, & cogitatio humani cordis, in malum prona sint ab adolescentia sua, ex eo accidere autumo, primum ex peccati fomite, de quo apud Theologos vera, et religiosa tractatio est. Deinde quod cum animus ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, vel visum, vel auditum, vel alium sensum: hoc enim est per corpus considerare, quia per sensus id agitur, tunc quidem a corpore trahatur ad ea, quae nunquam eodem modo sunt, atque ipse aberret, perturbeturque, et quasi ebrius vacillet, necessarium est. At vero quoties ipse animus per se quidquam excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habes. Itaque deprauationis illius, quae saepe minus bonum eligimus, maximam culpam sustinet instrumenta, quibus uti necesse est, veluti si quis peregrinus, hospesue, Salmaticam qui nunquam vidisset, huc modo accederet,

deret, non hospitium nosset, ciues nunquam vidisset, mores, & statuta ciuitatis ignoraret prorsus: posset ne hic quantum vis sagax, ingeniosus, & solers esset, non cuius se tradere, et a quouis decipi? Non secus animus noster quantumuis immortalis, excelsus, & boni appetens, dum humano, & fragili carcere includitur, dum corporis vinculo astringitur, dum ministri, atque exequutores suarum operationum dantur mortales sensus, his se committere, ab his discere, & percontari singula, dum hac luce fruitur, necesse est. Ij vero nescio quo fato, eam obcaecat hominum oculos nebula, importunaque tenet caligo mentes, & a matribus penenondum nati, vitis aluntur, & cum nutricis lacte dolos, fraudeque sugunt. Deinde vero adeo nos umbris, delictis, otio, languore, desidia animum inficimus, opinionibus, maloque more delinitum mollimus: ut naturam, ceteroqui semper inuictam, facile praua vincat consuetudo. Atque hoc illud est quod a Cicero in partitionibus dicitur. Est, inquit, genus hominum ad honestatem natum, malo cultu, prauisque opinionibus corruptum. Et lib. 1. de legibus, ait. Sequitur igitur ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, iustos natura esse factos, tantam

tantam autem esse corruptelam mala consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque, & confirmantur vitia contraria. Quod idem firmat Plato in Phadone, vel de anima, & in Timæo, vel de mundi natura. Quam sit autem illis iuribus aptus hic sensus, ipsa indicat verba. Sensus, & cogitatio humani cordis. Videtis ut de sensibus, & mortali, fragilique, corde loquantur. Et demum inquit, prona sunt ab adolescentia sua. Hoc ad corpus spectare, non de animo dici, quis non videt? Hic quoque satis apparet, qualiter intelligendum sit illud, quod alibi ab Ulpiano dicitur in l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iur.

²⁴ Hinc descendit, inquit, maris, atque foeminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Quam non satis videbatur firma sententia, cum appetitus, etiam extra matrimonium, naturalis esse probetur. in c. debitum, de biga. & in c. gaudemus de diuor. Quam difficultatem pluribus locis tractant, examinantque doctores, quorum ego dicta, & opiniones, non est cur transcribam. abunde explicat Dominicus Soto lib. 1. de iust. & iur. art. 4. in responsione ad tertium, dum ait, ad tertium concedi-

ceditur inclinationes naturæ, quæ homini competunt, in quantum sensibili animali, ad legem attingere fomitis, hoc est, appetitus sensitivi, originali iustitia destituti. Si autem considerentur, quatenus hominis sunt propria, tunc legi naturæ subduntur, puta rationi, caterarum potentiarum moderatrici, quæ cunctos affectus debet intra suas lineas continere. Verum adhuc prædictam ²⁵ dispositionem talis urget aduersa ratio. Nuptias non concubitus, sed consensus facit: est autem consensus de iure gentium, ut in l. consensus. C. de repud. ergo nuptia potius sunt iuris gentium, quam naturæ: confirmatur & alia ratione hoc argumentum. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: sed cetera animalia non utuntur matrimonio, quod indiuiduam vitam consuetudinem continet, sed utuntur commixtione confusa, igitur matrimonium non est de iure naturæ. Huic difficultati Accursius, Bartolusque respondent, non actum ipsius matrimonij esse iuris naturæ, sed ipsum motum ad actum. Vnde ipsi posse deduci putant, ad peccatum iure naturali moueri nos, idque probari aiunt, in Auth. de restit. & ea quæ par. §. unum

vnū, collat. 4. quibus ego minime assentior. Nam si inclinationes ad actum, coniunctionesque dedit ipsa natura, & secundum naturam oportet, sit ipse actus, quando id ad quod aliquid ordinatur, prius necessario esse in agere probatur in auth. multo magis. C. de sacrosan. eccles. Quin. & carnale coniunctionem dedit ipse actus naturæ, & iuris naturalis esse probatur, in predictis cap. debitum, & cap. gaudemus. Et aperte iuriscōsultus ait. Hinc descendit maris, atque foeminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus. In illa verò opinatione cōfutāda, dū asserunt ad peccatū naturali iure moueri nos, diutius morari nō necesse habeo, cum Vldaricus Zaſius dicat, cōmuniter illā opinionē repudiatā, & apertis tibijs aduersus eos agat ibi Fortunius, eorum respondens fundamentis, qui aliter hunc expedit nodum, dicens, ideo matrimonium esse de vero, & proprio iure naturali, quia in statu integræ naturæ fuit cōtractum in paradiso terrestri, Gen. cap. 2. & refertur in cap. 1. de vot. & vot. redempt. lib. 6. Idq; ob id, quia instinctu rationis primus parens, statim ut vidit uxorem sibi creatam, contraxit matrimonium his verbis. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne

mea,

mea, quam obrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Cum igitur instinctu naturæ, inquit Fortunius, hæc dixerit, ac matrimonium contraxerit, necesse est, id esse iuris naturalis. Considerandumq; valde monet, accidisse illud in statu naturæ perfectæ, non corruptæ. De qua ego solutione, quid sentirem, apertius dicerem, ni vererer ingrati nomen subire. Fuit enim mihi Fortunius parentis loco, meo verò patri, eo et amicitia, & familiaritatis gradu coniunctus: ut si quidquam Fortunio detraxerim, & patris irā, & utriusque manes reformidem. Quapropter illius sententiæ iudicio prætermisso, verba illa Vlpiani, Hinc descendit maris, atque foeminae cōiugatio, quam nos matrimoniū appellamus, ita intelligi posse cēserem, ut quāuis omnium animalium communis natura sit, sintq; quædam & inter se animalibus reliquis, & cum bestijs homini communia, extrema tamen, & summa, distincta inter animalium genera, & dispersita sint, & sua cuiq; propria, & ad id apta, quod cuiusque natura desiderat. Nam, ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versetur, scientia autē sua cuiusque artis est: sic & ma

C ris

ris & femina coniunctio omnium animalium secundum naturam est, sed natura diuersa sunt: ut aliud equo sit natura, aliud boui, aliud homini, & tamen in omnibus summa communis. Quare cum dicimus precepta iuris naturalis omnibus animantibus, quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur, communia esse, non ita accipiendum est, quasi dicamus unum esse omnium extremum: sed ita eis hunc appetitum conseruandi sui, tuendiq; vitam à natura datum, ut simili, non eodem fine custodiant se, quam in optimo sui generis statu: sicq; maris, & femina coniunctionem, liberorumq; procreationem, ita naturam omnia animalia docuisse, ut seruent tamen illam species, una quaeque, uti naturalis ei insita ratio persuadet. Quo fit ut non solum homines, sed & animalia quaedam, in quibus ad educationem prolis est insita sollicitudo, seruent quoque hanc indiuiduam coniunctionem, ut turtures, & columba, quae auctore Plinio, coniugij fidem non violant, communemq; seruant domum. Ea enim sunt unicuique generi de iure naturali, quae ratio naturaliter demonstrat esse conuenientia, & utiliora ad conseruationem eius speciei. Unde cum ratio apud homines naturaliter videat,

deat, ad procreationem, & conseruationem generis humani, coniunctionem unius solum ad unam decet iorem esse, eam naturaliter apprehendit, uti stirpem, ex qua maxima oriuntur amicitia cognationum, ut & salua sit, & in genere conseruetur suo. Vnde merito reprehenduntur Bald. in. l. 1. S. ius naturale. ff. de iust. & iur. & Joan, de Plat. instit. eod. tit. in prin. qui fornicationem aiunt esse iuris naturalis, sententiam iam pluribus damnatam iuribus. c. 2. 1. dist. & c. non est peccatum. S. in lege dist. 6. & c. predicandum. 22. q. 1. talique ratione facile reprehendendam. Si procreatio, educatioq; liberorum hominibus naturalis est, ut certe est. d. S. ius naturale, & etiam successio, ut in. l. cum ratio. de bon. damnat, hac autem esse non possunt, si coitus incertus esset, ac vagus: ergo & media, per quae ad hac peruenitur, id est, matrimoniū, certaq; nuptiae, eis de hominibus, eiusdem iuris naturalis erunt. Sæper enim in promptu illud habendū est, quātū natura hominis, pecudibus, ceterisq; brutis animantibus antecellat: illa enim nihil sentiūt, nisi voluptatē, ad eāq; feruntur toto impetu, hominis aut mens discendo alitur, & cogitādo semper aliquid aut inquit, aut agit. Quod si quis malo cultu

est paulo ad voluptatem propensior, modo ne sit ex pecudum genere, quāvis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitū voluptatis, propter verecundiam. Ex quo intelligitur corporis voluptatē, alio modo ceteris animalibus, ferisq; bestijs à natura insitam, longè aliter homini rationis participi, ab eadem natura concessam, neque extramrimonium, & legitimas nuptias, satis esse dignam hominis præstantia, sed potius cōtemnere eā, ac reijci ab eo oportere. Illud iā sequitur, ut videamus, quæ corpori sint tribuenda, & quantū eius causa laborare hominem deceat. Quia verò innumerabilia sunt, quæ hac de re dici possunt, omisis ceteris omnibus, illud unum veluti regula sit, in omnibus rebus, vel appetēdis, vel repudiādis, unius cuiusq; rei dignitatem estimandam esse, ut semper honestas utilitati præferatur, ex duobus honestis, utrū honestius: ex duobus utilibus, utrū utilius sit cōsideretur. Si enim pro conservanda minori, ac vi-
27
28
liori re, quæ potiora sunt amitteremus: si pro cōservanda re propria, hanc humanitatem, coniunctionemq; communem violaremus, iusti nequaquam
essemus. Unde multorum iurium ratio, sequimq; deducitur, atque eius maxime, quæ vim vi repellere per-

permittit: utq; vim, atque iniuriam propulsemus, contendit, qua de re, et si multa à doctoribus pro certo sunt tradita, quæ saltē in dubium reuocari possent, verū eius tantum rationis exordium examinabimus, quæ eū nobis interimere licet, qui vitæ nostræ finem intēdat: ut ea cognita, facile perspici possit, ita ne latè pateat, & sit eius rationis adeo spatiosus cāpus. Platō lib. 9, de repub. (ut & autor est Cicero lib. 1. Tuscu. quæst, tres partes animi dixit esse, cuius principatū, id est, rationē, in capite, sicut in arce posuit, & duas reliquas superare voluit, iram, & cupiditatē, quas suis locis distribuit: irā in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. Ex quibus intelligendum est, datas esse à natura animantibus appetitionē, declinationemq; ut altera conatum habeant ad naturales pastus, quæque ad propriā attinent cōservationē exoptēt, appetātq; altera secernāt pestifera à salutaribus totoq; pectore, ac viribus ea declinent, quæ nocitura videntur, audacterq; resistent, si pericula sibi quis intendat: atq; idē hominibus, & à natura insitū, & à ratione concessum esse, imo præceptū, ut rationi appetitus inferuiant, concupiscibilis quidem, quæ ad vitā sunt necessaria concupiscens: irascibi-

lis autem quidquid huic vitæ, & cōseruationi offi-
 cit, & damnum dat, repellens omninò, & sese pro-
 totius, scilicet animi, & corporis cōseruatione, for-
 titer quibusuis opponens periculis: quod omninò iu-
 stum, æquū, & naturale est. Qui igitur me oppu-
 gnat, nititurq; interficere, ille iniuste, & iniquè agit
 quapropter cum in repub. cōmunioneq; hominum,
 meæ vitæ ad illius vitæ sit æqua proportio, ille me in-
 iuste inuadat, ego me iuste defendam, possum omni
 natura, iure, & æquitate permittente (dū modo de-
 fensionis limites nō trāsgradiar) illius interitu, ac
 sepultura, meā lucem, vitæq; redimere. Et hac est
 decidendi ratio. l. ut vim. ff. de iust. & iur. l. 1 ff. de
 vi & vi. armata. l. iniuriarū. ff. de iniurijs. l. itaq;
 l. sed & si. ff. ad. l. Aquil. c. significasti. de homic. c. si
 verò de sent. exco. & c. ius naturale dist. 1. Quibus
 iustissimè disponitur, vbi legibus uti non licet, vbi
 importunū hostem iudicio frangere non possumus,
 vbi iudicia ipsa vis impedit, ac tollit: audaciā vir-
 tute, furorem fortitudine, temeritatem cōsilio, ma-
 num manu, vim vi superare licere. Ea nempe cau-
 sa, quod in hominum, (ut dixi) cōmunitate, in pa-
 ri sit gradu, atque ordine, vtriusq; hominis vita,
 29 atque salus. Hac verò ratio, quam ceteris opinio-
 nibus

bus nō succurrat, facile cuius licet perpendere. Li-
 ceat ne ei, cui dictum est, mihi vindictā, & ego
 retribuam, & iterum, si quis te percuferit dex-
 teram maxillam, præbe ei & alteram: pro in-
 nani, mundanoq; nomine honoris (qui nisi virtutē
 tanquam umbra sequatur, comesq; sit rectè facto-
 rū, nihil profectò in se habet cur expetatur) eū vi-
 ta priuare, quo cū arctissima natura, caelestiq; con-
 iunctione coniunctus est, dumq; caduca, mortalia,
 & vilipendēda fortuna bona is defendit, cui dictū
 est, ne de crastino curet: sanctā, inuiolabilemq;
 natura societatem violare: non ea res est, quæ trans-
 cursim tractanda, examinandaq; sit: dabitur ali-
 quādo fortasse locus, quo hac curiosius possumus cō-
 quirere. Propriam enim vitam, salutem, & incolu-
 mitatē, alterius vitæ, salutis, & incolumitati præ-
 ferre, natura præscribit, nulla lex vetat. Vt de sua
 quisque fama, honore, & gloria, potius quā vicini
 labore, natura cuiq; insitū est, omniq; iure cōcessū.
 Atq; ut sibi quisq; malit, quā alteri acquirere, cō-
 cessum est: non repugnāte natura, ea tñ lege, ut in
 hisce rebus iusti seruetur gradus, & vnus cuiusq;
 pondus aqua læce pēsetur: Detrahēre enim alteri
 sui cōmodi causa, magis quā mors, quā dolor, quā

cetera generis eiusdem contra naturam esse, omnes philosophi tradiderunt, & legibus non solum natura, vel gentium, sed etiam populorum, quibus singula ciuitates utuntur, continetur. Sed de his haecenus. De hac enim re statutum est, amplius pronuntiare, ut quodcumque maxime probabile occurrerit, id pro meo iure, quouis tempore liceat defendere. Sat est intelligi id sumere istos pro certo, quod dubium controuersumque sit. Illud unum non omitam, quod August. scripsit lib. i. de lib. arbit. *Quomodo, inquit, apud diuinam providentiam a peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanae caede polluti sunt? caput vero illud, quod plerique doctorum pro se allegant, scilicet, inter fecisti, de homicid, optimum esset fundamentum eorum, qui contrariam opinionem tueri vellent, & sustinere: cum sint apertissima rescripti verba dicentis. Si autem sine odij meditatione, te, tuaque liberando, huius diaboli membra interfecisti. Non dixit bona tua defendendo: sed quod longe diuersum est, te, tuaque liberando. Et nequis hac paradoxa putet, licet illam glossa sententiam (quod pro defensione rerum liceat occidere, teneat Bart. in l. i. C. unde vi, & dicat esse communem opinionem Jasso. in d. l. ut vim*

ut vim. num. 23. & Decius num. 31. contrariam tamen scilicet quod pro defensione rerum, non liceat quemquam occidere, firmant Anania, & Panormit. in c. 2. de homi. quos acriter defendit, & respondet contrarijs Fortunius, in d. l. ut vim, dicitque esse commune scitum Canonistarum Felin. in c. 2. & in c. suscepimus, & in c. petiero de homici. & dd. in clem. 1. eod. tit. Vnde ad illam questionem inferri solet, an is cui aqua, igni, tecto, interdictum est, si quisquam eum velit offendere, possit se iuste defendere. Cui facile respondetur, ex communi omnium iurisperitorum sententia, dicentium, quod banniti se iuste defendunt, repelluntque armis, offendere volentem, eam nempe causa, quia defensio est iuris naturalis, deportati vero, seu banniti non amittunt ea, quae sunt iuris naturalis: ut probatur in l. quidam ff. de pen. & docent Bart. in d. l. ut vim, & Fortu. in l. gallus. s. & quid si tantum ff. de lib. & posthu. & in l. conventionum. ff. de pact. De adultero quoque se defendente, quid sit dicendum, tradidit Fortunius in d. l. ut vim, & in tract. de ultimo fin. utriusque iuris, illatio. 11. nu. 139. & Ant. Gom. in comen. ad l. 80. Tauri. Illud verò notandum, quod qui se defendit, etiam si modum defensionis excedat, quantum eo quod

eo quod excedit, iniuste agat, non tamen punitur pena ordinaria, propter initium iustum, & occasione initio iusto sumptam, ut patet in. l. si adulterium. S. si imperatores ad l. Iuli. de adulterijs, & in. c. significasti de pen. et remissio, & in. l. nec timore. ff. quod metus causa. Imò quavis adulter, vel fur occasione dederit, iuste timet, nec valent promissiones, quas timoris causa fecerit: quã conclusionem explicant Bald. & recentiores in. d. l. ut vim. Quod autem Lanfran. Balbus in decisio. suis centu. 4. decisione 360. dicebat, eum qui occidit, se defendendo, nõ puniri morte, sed aliter, etiam defensione non probata, quod idem sentire videtur Guillel. benedict. in rep. c. Raynutius, de testam. in parte, qui cū alia: ego non ita facile asseuerarem. Illud certius est, defendentem se ipsum non peccare, adeo quod etiam si occidat, vel membrum abscindat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Quam cõclusionem examinare non necesse est, cū habeamus iam constitutam auctoritatẽ Pontificis, aperte id disponētis in clem. 1. de homici. ante quam nonnulli contrariũ tenebant. Neque illud quoq; tẽpus est discutiendi, quod glo. in verb. nã iure, ait, leges has iure fori procedere, secus verò esse iure poli, immuens peccare se defen-

defendentem: cū licet ei consentiãt Jasso. colu. 5. Bart. in. l. 1. S. si quis simpliciter. ff. de verbor. oblig. & Abb. in. c. 2. de homici. Contrarium tamen multitenent rationibus Paulus, Ange. Deci. Fortu. in d. l. ut vim, Anani. in. c. sicut dignũ, nu. 43. de homici. & Bald. Perusi. in. l. 1. num. 48. colu. 8. C. unde de vi. Ceterum quod ad illud attinet, unde principi- 34
pium, & fundamentũ sumitur harum omnium sententiarum, disputationumq;, quod Vlpianus inter ea quæ iuris gentium sunt, retulerit, ut vim, atque iniuriam propulsemus, cū apertissime constet, defensionem, tuitioneq; sui, esse iuris naturalis, omnis multorum sententijs, & ad hanc diffinitionem ampliationibus, & limitationibus, duplici id modo potest intelligi. Primum, quod quavis defensio sit proprie iuris nature: quod negari non potest, siquidem dente lupus, cornu taurus petit, quod unde, nisi intus monstratum? quia tamen vsu gentium id tenetur, & ab vsu gētium sumit auctoritatem, iuris gētium id esse dicitur. Decius aliter, scilicet defensionem ipsam iuris quidem naturalis esse, omnibusq; animaribus communem: iniuriam verò, quæ ex precedenti vi resultat, esse iuris gentium. Mihi prima solutio magis placet.

De

De iustitia commutativa & distributiva. LIBER TERTIVS.

I **V**BI iustitia munus esse, suum cuique tribuere, probatum est, quidque animo dandū, quid corpori tribuendum, ostendimus, illud nostri muneris esset, de duabus iustitia partibus agere, distributiva scilicet, & commutativa. Cum enim in repub. in qua iustitia aequitate constituit, duplex sit ordo, videlicet totius ad partes, & partium inter se, necesse est duobus illis ordinibus, duas itidem iustitia partes adaptare, docete Arist. lib. 5. eth. cap. 2. Nec est quod moremur in refutadis quorūdam vanis opinio nibus, quibus hac philosophi sententia displicet. Pars illa iustitia, quae est totius ad partes, puta quae communia bona civibus dispēsat, nominatur distributiva, altera, quae aequitate servat inter partes, nūcupatur commutativa. Vtriusque autem iustitia, tam distributiva, quam commutativa mediū, aequalitas: aequalitatis verò non eadem ratio, & proportio. Vel enim constituitur inter dantē, & accipientē, ut quantum accipiēs accipit a dante, tantum accipiat dās a recipiente, quae aequalitas in emptionibus, venditionibus, retributionibus, iustitia commutativa vocatur: vel alio modo constituitur aequalitas inter duos, quorum quilibet est recipiēs
quia

quia uterque recipit mensuram, iuxta suam conditionem aequaliter, quamvis in re recipiat inaequaliter, & in hoc consistit distributiva. Atque ex hoc patet duplex differentia utriusque iustitia: prima quod commutativa est aequalitas quantitatum in datis, & acceptis: ex eo nempe quia recuperat dans, quantum dedit. Sicuti cum vendit quis equum, qui valeat centum aureos, equi cum pretio iusta commutatio est. Inter quos verò non potest esse aequalitas in datis, & acceptis, non reperitur proprie iustitia commutativa. At iustitia distributiva non requirit aequalitatem quantitatum, sed proportionis. Non enim oportet quod distribuens bona communis, eandem quantitatem det omnibus: sed cui libet secundum suam proportionem, cum aliud debeatur premium equiti, aliud gregario militi. Altera differentia est, quod iustitia distributiva primo respicit proportionem personarum, ex qua concludit proportionem rerum distribuendarum, secundum debitam conditionem personae. Iustitia verò commutativa primo respicit habitudinem rei ad rem, ut patet in emptionibus, & venditionibus: vel habitudinem actus ad passionem, ut in iniurijs vindicandis, seu puniendis. Ad conditionem autem personae

persona nunquam propriè respicit, sed ex conse-
 quenti, quando conditio personæ adauget quanti-
 4 tatem rei, vel iniuriæ. Quo fit, ut maior iniuriæ sit
 magistratum, quàm priuatum percutere. Vt has
 autem propositiones iuri nostro adaptemus, scire
 oportet iuridicalem causam eam esse, in qua æqui
 & iniuri natura præmiij, aut pænæ ratio contine-
 tur. Quod aperte firmat iurisconsultus dicēs, bo-
 ni & æqui notitiam profiteamur, æquū ab ini-
 quo separantes, licitum ab illicito discernen-
 tes, bonos non solū metu pænarum: verū
 præmiorum quoq; exhortatione efficere cu-
 pientes. Quod dicere, nihil aliud est, quàm iusti-
 tiam, ut nos suprà fecimus, in commutatiuam, &
 distributiua diuidere. Omnis enim & præmiij, et
 pænæ ratio, ad distributiua pertinet, æqui verò,
 & iniuri natura, ad cōtractus, & commutationes
 attinet, de quibus tot, tantisque, ac tam innume-
 rabilibus iurisconsultorum libris agitur. Cete-
 rum præmiorum, pænarumq; silua latissima est, de
 5 qua nos postea nonnulla dicemus. Nunc unum
 tantū, atque alterum distributiua exemplū pro-
 ponamus. Iulianus iurisconsultus in l. 13. ff. de lib.
 & posthu, acutissimè ita scripsit. Si ita scriptū sit,
 si filius

si filius mihi natus fuerit, ex beffe hæres esto:
 ex reliqua parte vxor mea hæres esto, si ve-
 rò filia nata fuerit ex triente hæres esto:
 ex reliqua parte vxor hæres esto. Si filius & fi-
 lia nati essent: dicendū est affem distribuēdū
 esse in septē partes: vt ex his filius quatuor, v-
 xor duas, filia vnā partē habeat. Ita enim se-
 cundū voluntatē testantis filius altero tan-
 to amplius habebit, quàm vxor: item vxor al-
 tero tanto amplius habebit, quàm filia. Cuius
 distributionis ratio ex superioribus apertissima
 est. In hac enim specie iustitiam constituit testato-
 ris voluntas, quam pro lege ad vnguem serua-
 ri, iura constituunt. Voluntatem autem testan-
 tis eam esse constat: vt mater duplum habeat ad
 filiam, filius verò duplum habeat ad matrem. Si
 & filius, & filia nati sint, minimos numeros qua-
 rere oportet, & secundū eos partiri. Sunt autem
 in hac hypothesi minimi numeri, vnum filia, duo
 matris, quatuor filij. Qui simul omnes collecti
 septem efficiunt. Alterum exemplum est in l. 80.
 ff. de leg. 1. Is, inquit, qui sola triginta reliquerat
 Titio triginta legauit, Seio viginti, Meuiode-
 cē. Maffurius Sabinus probat Titium quinde-
 cim: Seiū decem, Meuiū quinq; cōsecuturos.

Ad quam formam & mille alia causa facile possent proponi, nulloq; negotio in eis recta distributio constitui. In commutativa multo aliter se res habet. Debitum enim inde consurgit, quod res fuit ab altero possessa: ergo nullo habito meritorum, personarum respectu, oportet unicuique tantum referri, quantum ipse contulerat, ut verbi causa. Quintius atque Sulpitius cum societate inirent, uterq; quinque habebat, mutuo Sulpitius unum Quintio dedit, unde duobus plura, quam ille habet: exigit iustitia commutativa, ut Quintius Sulpitio, quod suum est reddat, quodque mutuo acceperat, soluat, nulla personarum qualitate, aut conditione aestimata. Ea ratione, quod inter quoscunq; lege, aut more contractus celebratur, commutativa iustitia non debet variari. Si Sempronius Titio servum vendat, quinquaginta aestimatum aureis, quinquaginta aureos reddere Titium Sempronio æquum est. Quod si ille pro mancipio, equo, veste, domo plus exigat, quam iusta aestimatione res valeat, iniuste agit, nec minus ille, si viliori pretio, quam æquum est, emat. Hic enim est finis commutativæ iustitiæ, ut in emptionibus, venditionibus, permutationibus, ceterisque contractibus, æqualitas omnino servetur. Unde formula illa

in arbitrio

in arbitrio rei uxoria. Melius, æquius in fiducia ut inter bonos bene agere oportet, & sine fraudatione. Illa etiam in contractibus. ut ne propter te, fidem tuam captus, fraudatus sum. Atque hæc quidem satis de hac iustitia divisione: nam quod de proportionibus Geometrica, & Arithmetica hac occasione disputari solet, reliqua quoque huius virtutis partitiones, non est cur referamus, quæ à multis, & philosophis, & iurisconsultis sunt tradita: inter quos reliquos à Corasio de iuris arte. 1. part. c. 23. & Roscio lib. 2. memorabiliu. c. 2.

Ex quibus omnibus ad explicationem deveniendum esset. l. in causa. §. idem Pomponius. ff. de minor. & l. item si queritur. §. quemadmodum. ff. locati. ubi Paul. & Ulpianus asserunt, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Quod Fortunius intelligit in tractatu de ultimo fine utriusque iuris, illatio. 17. colu. 62: nu. 197. ut quemadmodum in emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluri sit, minoris emere, quodque minoris sit, pluri vendere, ita invicem circumvenire. Circumventio ergo debet esse secundum licentiam naturalem, quæ est, ut pluri vendatur. Itaque intelligendum est, non licet natura-

D liter

liter, se circumuenire: sed licet, se circumuenire naturaliter, id est, circumuentione naturali, absq^{ue} fraude doloue. Aliter intelligit Didacus à Couarruias ex theologorum, ac iurisperitorū doctrina considerans, quod iustum pretium rerum nequaquam consistit in puncto individuo, sed in mediocritate quadam, qua latitudinem habet per gradus, est enim cuiusque rei pretium triplex: supremum, infimum medium. Nec potest accideret rem aliquam ita precise ualere centum, ut nec ualeat plus, nec minus, ualet namque pretio medio centum, pretio supremo centum & quinque, infimo nonaginta quinq^{ue}, atque in hoc triplici pretio, iniquitatem negat posse consistere. Quomodo affirmat intelligendum quod in predictis iuribus dicitur, licere naturaliter contrahentibus in pretio emptionis, & venditionis se circumuenire, modo ea deceptio, intra latitudinem iusti pretij, & eius mediocritatem contingat, alioqui licere non posse naturaliter, neque ulla lege probari. Vel iurisconsultorum responsa, ad mutuam, tacitamq^{ue} contrahentium indulgentiam pertinere ait, qua condonare uidetur, ob naturam contractus modicam lesionem. Siquidem impedirentur commertia, si semper exacta illa pretij equalitas foret
anxiè,

anxiè, & scrupulose consideranda. Aliter quoque rem istam explicat Domini, Soto lib. 6, de iust. & iur. q. 2. art. 3. dicens sensum illorum iurium non esse, ut ceteri putant, intra latitudinem iusti pretij, quia intra hos carceres nullum habet locum deceptio, neque ulla opus est remissione, cum tota latitudo iusta sit. Sed intelligendum citra dimidium iusti pretij, & ideo ait naturaliter, quia humanum ingenium, lucri auidum, in culpa est. Quare, licere, illic non est idem, quod sine culpa, sed impune in humano foro. Quorum omnium sententia Ario Pinelo non placent, qui bonis rationibus, et authoritatibus interpretatur, naturaliter, id est iure gentium, in prima parte. c. 1. numer. fina. l. 2. C. de rescind. vendi. Legitimè autem fieri posse hanc interpretationem multis exemplis docent Corasius de iuris arte. 2. parte. c. 5. & Rocius libr. 2. memorabi. c. 7. & 8. Postremò Antonius Menesius in. l. 2. C. de rescind. vend. nume. 10. sex modis hunc nodum explicat eleganter. Atque de ea re haec tenus. Nunc quando praeclarissimam omnium virtutum iustitiam, suum cuique reddere monstrauimus, de iure, id est de arte, qua id fit, pauca dicamus.

1 **N**AM vt eleganter Celsus definit, ius est ars boni, & æqui. *Quam diffinitionē adeo multis modis nostri dd. contorquent, vt singulas eorum sententias referre, singulaq; argumenta refellere, quasi Hydra capita esset amputare. Accursius & Vacca artem, id est sciētiam finitam interpretantur. Alij artem, id est hominis artificium, exponunt. Corfa, de iure ciuili in artem redigen, artem, hoc est collectionem, ac sciētiam omnium præceptorum boni, & æqui intelligit: alij artē, pro exercitio, usurpant. Lorientus Salinzen, artē pro reā rei faciēda ratione, seu præceptione accipit: vt sensus sit, ius est reā boni, & æqui faciēdi præceptio. Quod verò ad bonum, & æquum attinet, Budaus equitatem intelligit, Lorientus æquum à bono differre existimat, vt species distat à genere, sed ubi bonum, & æquum dicitur, pro sola equitate accipiendum docet: & bonum, maioris tantum declarationis causa poni, quoniam copula, & posita inter genus, & speciem, genus ipsum per speciem restringere, & declarare solet. Alciatus bonum ab æquo, Accursium sequutus, separauit. Zasius nos*

iubet

iubet intrepide tenere contrariam sententiam, interpretaturq; ius est ars boni, & æqui, id est regula iustitiæ, ad temperamētum comparata. Antonius Vacca ius tantum ciuile diffinire Celsum putat: et artē boni, & æqui, id est equitatis, & iustitiæ. Marius Salomonius dum pleniorē ex suis problematibus subit interpretationē, quid causa est, inquit, quod Vlpianus, siue Celsus ius artem appellat, & nō sciētiam? de officio, respōdet, boni viri Celsus loquitur, quod in actiōe versatur: ideo ius est ars, intelligo exercitiū boni, & æqui viri, veluti virtus dicitur ars boni hominis, philosophia ars sapientiæ studiosi, & iniqui ars nequitia. Nō enim de iuriscōsultorū hic agitur sciētia, quæ est, nō ignorare quid quid legib; scriptū, prudētiumue auctoritate digestū est, in qua cognitione nullū artificiū requiritur, præter assiduā lectionē. Ars itaq; iuriscōsulti, id est boni, & æqui viri, in equitate colenda cōsistit, quæ nullo scripto, sed sola reā ratione cōtinetur, & ingenio sapientis cōcipitur, duce iustitiæ, atq; magistræ, hæc Marius. Ferrarius autē Montanus bonū ab equitate quodāmodo separare videtur, cum ait, certè quod boni simus, ad nos quoq; redū dare solet, quod verò æqui, ad alterū tantum, id quod præcipuē,

D 3 iustitiæ

iustitia minus est. Coras. boni, & equi, inquit, hoc est, iustitia, et aequitatis, non verbis, aut literis legum conclusa, sed in mente, ac ratione legis posita: hanc esse ait benignam iuris interpretationem, cui strictum ius oppositum sit. Quid referat, quod obscuris sensibus, & tenebrosis, Bart. hoc loco de materia copulativa disputat? Quid eloquentiam plenam Paul. Castren. inuectivam contra idiotas mercatores recenset, qui se aequitatis magistros pradicant, atque legis peritos contentunt, dicentes, quod vadunt per cavillationes? Quid Alberici transcribam interpretationes, ac commenta, meo certe rudi ingenio, adeo flexiloqua, & tortuosa, ut interpretes egeant interprete? Quid illam Baldi indoctam, ne dicatur turpem, assertionem reprehendam, qui dum materiam copulae intrare festinat, illud quod minimè decebat, fatetur: leges quasdam esse bonas, et quas verò minimè, aliasque reperiri aequissimas, quae certè bonae non sint. Dies me primum deficeret, quam hac mostra numerare, non dico superare. Ego sic existimo, agi hic non de iure publico, vel privato, non de iure stricto, neque bona fide, non de iure naturali, neque civili: harum omnium enim partium, genus, est ipsum ius per se sumptum, et uti suprema omnium regula consideratum. Quapropter am-

priori

priori nos modo consideremus, si quicquam proficere possimus. Deum, non aliud quippiam causam esse condendarum legum, legumque latorem, non ad aliud, quam ad amplitudinem virtutis prospicere oportere, ut essent utentes, beati efficiantur: vel hi, qui philosophiam supremis labris gustarunt, non solum qui se bene intus insinuarunt, non dubitant. Quo fit, ut id maxime legulatoribus sit curandum, si quid modo profuturi sunt, ut sensim in civitate, bonum et aequitatem disseminent: quae si ciues, vel praemiorum expectatione, vel poenarum metu observauerint, et coluerint in beata Republica beatam prorsus, atque felicem vitam degant. Sunt autem bona duplicia: alia humana, divina alia, penduntque à divinis humana. Si qua verò civitas maiora suscepit, minora quoque possidet: sin autem illis caret, utrisque privatur. haec bona Plato lib. I. de legibus ita partitur, Minorum, inquit, primum est sanitas, forma secundum, tertium vires ad cursum, ceterosque corporis motus, quartum divitiarum, quae caecae non sunt, sed acutè cernunt, si prudentiam sequuntur. Quae quidem prudentia, divinarum bonorum dux prima existit. Deinde post mentem temperatus animi habitus. Ex his duobus, cum fortitudine mixtis, iustitia tertio emergit. Fortitudo quartum tenet locum, quae

omnia humanis illis natura preponitur. Quare oportet ut legis quoque lator, et ipse hunc ordinem sequatur, et mādēt omnibus, ut semper ad hanc ipsa respiciētes in singulis operētur: humana enim ad diuina, diuina uero ad mentē principem referenda sunt. Nunc ius uniuersum circa hanc bonorū partitionē, id est senatus prudentiā, proconsulū, et praesidiū temperantiā, praetorū, et magistratū iustitiā, imperatorū, et ducū fortitudinem uersari neque quidquā quod ad sanitatē ciuū, formā urbis, atque reip. uires militū, reliquaque, quae populo sint necessaria, à iure pratermitti, apertissimis ostēdamus exemplis. Ac Primum quantū ualeitudini nostra prospiciat iuris prudentia, edicto adiliū curuliū ostenditur. ff. de adili edicto in. l. hi enim, cū sequēti, quocauēbatur, ne quis canē, uerrem, uel minorē aprū, lupum, uersum, pantherā, leonē, uel aliū, quod noceret animal, siue soluta essent, siue alligata, ut contineri uinculis, quo minus dānum inferrent, nō possent, quae uulgo iter fieret, ita habuisse uelit, ut cuipiā nocere, dānum uel dare posset. Si aduersus ea factū fuisset, et homo liber ex ea re perisset, solidi ducenti, si nocitū homini libero esse diceretur, quanti bonū, et equum iudici uideretur, cōdemnaretur.

tur, ceterarū rerum, quanti dānum datum, factū ue esset, dupli. Quin et Paul. i. c. uel ipsas delicias nobis quarere, et procurare uidetur in. l. i. ff. de extra. cri. fit (inquit) iniuria cōtra bonos mores, ueluti si quis fimo corrupto aliquē perfuderit, ceno, luto oblinuerit, aquas spurcauerit, fistulas, lacus, quid uel aliud ad iniuriā publicā cōtaminauerit, in quos grauius animaduertifilet. Cōtra quos similiter et Plato lib. 8. de ll. ita disponit. Si quis spē alienā aquā, siue scaturientē è fontibus, siue collectā, ueneno, aut foueis, aut ablatiōne corruerit, ad aediles deferatur, ubi si deliquisse cōuincitur, dānum restituat, et fontes, aut aquarū uasa, ut interpretes singulis faciendā semper purgationē iudicauerint, ita purget. De qua eadem re insignis est Imperatorū Archa. et Honorij dispositio, in. l. cū supra. C. de re mili. li. 12. Cū supra uirētes (aiūt) fluminū ripas, omnis legionū multitudo cōsistit, ideò prouida auctoritate decernimus, ut nullus omninò immūdo fimo sordidatis fluētis, cōmune poculū polluat: né uel abluēdo equorū sudores deproperans publicos oculos nudatus incestet, sed poculū cūcto rū obtutibus in inferioribus partibus fluuiorum

rū hoc ipsum faciat. *Vlpia. quoq; quā sit de hominū salute curiosus, et in omni ordinatione politus, perspicite. ix. lib. 71. ad edictum. siue in. l. i. ff. de Cloac. ita ait.* Curauit autē prætor per hæc interdicta, vt cloacæ & purgētur, & reficiant: quorū vtrunque ad salubritatē ciuitatū, & ad tutelā pertinet. Nā & cælū pestilens, & ruinas minatur immūdicie cloacarū, si non reficiat.

Quamobrē è Rep. certè statutū est in. l. de pupillo. ff. de noui oper. nun. Si quis riuos, vel cloacas velit reficere, vel purgare, operis noui nuntiationē merito phiberi: cum publicæ salutis, & securitatis interfit, & cloacas, & riuos purgari. *Quid quod in. ll. 12. tabularū sancitū erat, in urbe ne sepelito. Et quod D. Adrian⁹ in. l. prætore ait. ff. de sepul. violat. rescripto pœnā statuit quadraginta aureorum in eos, qui in ciuitate sepeliunt, et locū publicari ius sit, Et corpus transferri, mortuorum ne causa credimus stabilitū, an viuorū potius cōmodo, Et salubritati cōsultum? innumera certè sunt, quæ referri possent, si infirmis, Et aduersa valetudine cōsultatis, à iure data priuilegia, essent numeranda. Illud*
 9 *solummodo pponamus, qđ Iulian. I. C. scripsit, in. l. qua sitū. ff. de re iudi, vt apertissimè pateat, esse iuris prudentiā, de ciuū valetudine mirū in modum solici-*

solicitā, quæ sitū est (inquit) cum alter ex litigatorib⁹ febricitans discessisset, & iudex absente eo pponciasset, an iure videret pponciasse, respondit. Morb⁹ sōticus, etiā inuitis litigatorib⁹ ac iudice, diē differt. Sōticus autē existimādu est, qui cuiusq; rei agendæ impedimento est. Litigati porrò quid magis impedimēto est, q̄ motus corporis cōtra naturā, quē febrē appellat? Igit̄ si rei iudicādē tēpore, alter ex litigatorib⁹ febrē habuit, res nō videtur iudicata.
Quid nunc ostendā, morbū à pœna, à mora, à residentia, à datijs, Et gabellis, à contumacia, à cursu p̄scriptionis excusare quēq; cui malè sit? Notiora sunt hæc, q̄ vt vobis sapiētissimis, et eruditissimis viris pponēda sint. Illa vna repartē hęc concludam⁹, quā argumēto. l. huiusmodi. §. legatū. ff. de leg. 1. notāt Petr⁹, Cyn. Bal. Ange. Nicol. de Neapol. et Paul. de Cas. scilicet q̄ natus extra ciuitatē tēpore pestis, fingitur nat⁹ in ea ciuitate, qua propter morbum mater aufugerat. Ex qua conclusione inferunt ad statutū, quo caueretur, nullū in collegio admitti, nisi sit nat⁹ in ciuitate, vel nisi sit ciuis originarius. Quam decisionem audaciter etiā approbant Ioann. de Plat. in. l. filios. C. de muni. Et orig. lib. 10. et Panor. in. c. Rodolph⁹ de rescr. Felinus q̄ affirmat

affirmat, fuisse practicatū in sua persona quā: opi-
 nionē cōmuniter dicunt receptā Lancelo Deci. in. l.
 haeres absens. S. proinde. ff. de iudic. et Frac. de Rip.
 in tractatu de peste. Hanc aut conclusionē unā ex
 multis libuit annotare, quod vidē esse utile, & pra-
 cticabile, tam in beneficijs patrimonialibus, quā in
 II pragmatica sanctione Hispana, qua cauetur, ne
 quis extra Hispaniā natus, beneficia ecclesiastica,
 neq; ullos ecclesiasticos redditus, possit in Hispania ob-
 tinere. Quæ res nō procederet, si morbū mater au-
 fugiens filium pareret, fingeretur enim ille natus, si
 ue in ciuitate, unde erat oriūdus, ad patrimonialia
 beneficia, siue intra regnum, ne lege regia à fructi-
 bus ecclesiasticis pelleretur. Quod si subsistente ra-
 tionis idētitate, argumētum de morbo ad bellū va-
 lere cōcludunt Bar. in. l. naturaliter. ff. de vsuc. A-
 lex. conf. 30. lib. 5. et Panor. conf. 3. & conf. 18. lib. 2.
 notanda certē ampliatio est, & ut causidici solent
 dicere, de pane lucrando, ad ea quæ paulò ante de-
 monstrauimus. Sed quandoquidē satis probatū est
 id maximè leges nobis cōmendare, ut firmi, valen-
 tes, & sani simus, nihilq; à nobis, nisi prorsus confir-
 matis, cōmodè, & per valetudinē iura poscere, de
 12 formaiā sequitur, ut pauca dicamus. Formā vero
 urbis

urbis cura esse legumlatoribus Vlpianus lib. 3. opi-
 nionum, aperte docet, & in. l. 7. ff. de offi. præs. dum
 ait. Præses prouintiæ inspectis edificijs, domi-
 nos eorum causa cognita, reficere ea compel-
 lat, & aduersus detrectantem, competēti re-
 medio deformitati auxilium ferat. & Iulian.
 libr. 48. ff. sicut (inquit) is qui nullo prohiben-
 te in loco publico ædificauerat, cogendus nō
 est demolire, ne ruinis vrbs deformetur: ita
 qui aduersus ædictum prætoris ædificauē-
 rit, tollere ædificium debet: alioquin inane, &
 lusorium prætoris imperium erit. l. final. ff.
 ne quid in loc. pub. Et ne in re non dubia pluribus
 ut ar testibus non necessarijs: quàm multis præto-
 rum, ædiliū, aliorumq; magistratū ædictis, pul-
 chritudini ciuitatis, & reipub. caueatur, vel ex pla-
 risq; Pandectarum titulis, quibus nihil aliud con-
 tinetur, satis constat, ut ff. ne quid in lo. sacr. vel iti-
 nere fiat, de locis, & itineribus publicis, de loco pu-
 blico fruendo, de via publica, & siquid in ea factū
 esse dicatur, de via pub. et itinere publico reficiēdo,
 de ripa munienda, de riuis, de fonte, de cloacis, de
 operib. pub. alijsq; innumeris, quibus innumera cir-
 ca decorum, & ornatum urbis disponuntur. Iam
 vero

13 *verò quàm sit nemini penitendum, nō deformem esse natum, non est quòd pluribus doceamus verbis, cum videamus sibi ministros deligentē, ipsum etiam summum opificem, celsa super arce sedentem, cui surgunt omnes de sedibus altis calicola, ceduntq; patri, neque sustinet ullus in solio mansisse suo, sed alacres omnes stant è regione Dei, solus ipse resedit celsior editiore throno. Is. c. 21. in Leuitico, Mosem his verbis affatur. Loquere ad Aaron, homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculā, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius. Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo fuerit, vel grādi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginē in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculā de semine Aarō sacerdotis, nō accedet offerre hostias dño, nec panes Deo suo. Qua de re satis multa in decretalibus, de corpore vitiatis ordinandis, vel nō, & in decreto. 49. et 55. distin. aequissimè certè iudicio meo. Quid enim aliud egregia forma speciesq; in adolescentia sunt, quā optima indolis, & bonitatis obsides, & fidelissima pignora? Quòd si prauo*

si prauo cultu in his aliquando sopita virtus conuuet, & adolescentia capitur voluptatibus, hilaritate frontis, alacritate oculorū, habitudine corporis, ac liberalitate vultus totius, qui sermo quidam tacitus mentis est, in errorem impulsos nos, in fraudemq; inductos querimus. Quis enim est qui oculis pulchritudinem rerum aspernetur, quis est qui suauitatem ingenii vultus excludat? Pulchritudo corporis, apta compositione membrorum, cuius nō mouet oculos, & delectat, hoc ipso quòd inter se omnes partes quodam lepore consentiunt? Ego certè Socratis de hac re sententiā libenter amplector. Si quo in homine hac cōcurrāt, ut in animo pulchri mores insint, & in corporis specie illis singula correspondant, consentiātq; eandē suscipiente ratione, pulcherrimū hoc esse ei, qui inspicere possit spectaculū. Quo fit, ut nullo modo sit audiendus Alberi. 14 de Rosat. qui in. l. ex hac. ff. si quad. paup. fecis. ait, nota quòd in hominibus nō attēditur deformitas. Quinimò eadē dispositione, ex qua ipse hanc rusticā sententiā deduci falso credit, apertissimè contrariū probatur. Caus. nāq; lib. 7. ad adictū provinciale, ut. d. l. ex hac, quā ad cōfirmandā opinionem suā ille doctor allegat, refertur, ita scripsit. Ex hac lege

lege iam non dubitatur, etiam liberarum per
sonarum nomine agi posse: fortè si patrè fa-
miliàs, aut filium familiàs vulnerauerit qua-
drupes: scilicet ut non deformitatis ratio ha-
beat, cùm liberum corpus æstimationem
non recipiat, sed impensarum in curatione fa-
ctarum, & operarum amissarum, ut pote quæ
facile æstimari possunt, haberi rationem, non for-
ma, atque elegantia, quæ pretio numario ponde-
rari nequeunt. Iurisconsultus præcipit damna
sibi, non vulnera sarciri, glossator clamat, &
vacuos numis loculos, non vel cicatricibus ple-
nam queritur faciem. Ad eò nescio quomodo nihil
tam absurdè dici potest, quòd non ab aliquo dica-
15 tur istorum. Sed iam progrediamur longius, et ad
ea quæ de viribus dicenda sunt, bona fortuna comi-
te properemus. De quibus pauca referre suffice-
ret, si Clinia Cretensis esset standum sententiæ, qui
omnes ferme leges, ita legumlatores iubet conscri-
bere: ut præcipue ab bellum respiciant, quasi cetera-
rum rerum nulla sit utilitas, non possessionum, non
artium, nisi quis bello superet: cùm omnia bona eo-
rum, qui victi sunt, ad victores illico transeant cui
& poeta Tyrteus facile consensit, dum ait, nullam
illius

illius ipse facio mentionem, nec omninò ullius præ-
rij existimandum censeo, etiam si ditissimus omnium
sit, etiam si multa bona possideat, qui non semper
optimè gerat se in bello. Nos verò de fine legum a-
liolo loco dicemus. Quod ad rem nunc attinet, illud
non dubito utilissimum fore Reipub. si saltandi, iac-
culandi, luctandi, & equitandi gymnasia sint, in
quibus aptè iuvenes exerceantur, magistriq; den-
tur pueris, à quibus omnes armatorum dimicatio-
nes, acierum ordinationes, ductiones exercitus, ca-
strorum metationes, & quæcunque ad equestrem
pertinent disciplinã, edoceantur. Cùm nemo igno-
ret, pueritia rectè educata, facilem reliqua vitæ fo-
re gubernatione. A qua sententia non alienos cre-
do fuisse iurisconsultos, cum in l. qua actione. ff. ad
l. Aquilæ ab Vlpiano ita referatur scriptum. Si quis in
collocatione, vel in pancratio, vel pugiles, dū
inter se exercentur, alius aliū occiderit, si qui-
dem in publico certamine alius alium occi-
derit, Aquilia cessat: quia gloriæ causa, & vir-
tutis, nō iniuriæ gratia videtur, damnū datū.
Quæ dispositio Platonis quoq; lege lib. 10. de legib.
comprobatur, dum ait, Si quis in certamine publi-
cisq; gymnasijs, non sponte, siue confestim, siue po-
E stea

ste à ex vulneribus sequuta mors sit, amicū hominē interfecerit, vel in bello similiter, vel in exercitacione bellica, à magistratibus instituta, siue nudis corporibus, seu ad imitationem veri belli armatis, secundum legem à Delphico Apolline latam, mundus sit. Nec verò solum ad hac exercitia, quibus adeò disciplina militaris inuatur, loca videntur à iurisconsultis cōstituta: sed et ludo quoq; pile, quem agilitati, & exercitacioni corporis conferre maximè nemo dubitat. Nam in l. ii. ff. ad l. Aquil. ita Mela. scribit. Si cūm pile quidā luderent, vehementiùs quis pile percussa, in tonso ris manū eā deiecerit, & sic ferui, quē tonforadebat, gula sit præcisa, adiecto cultello: in quocunq; eorum culpa fit, eum lege Aquilia teneri. Proculus in tonfore esse culpam. Et sanè si ibi tondebat, vbi ex consuetudine ludebatur, vel vbi transitus frequēs erat: est quod ei imputetur. Quamuis neq; illud malè dicitur, si in loco periculoso fellam habenti tonfori se quis cōmiserit, ipsum de se queri debere. Vbi autem conueniat hac loca constitui his exercitacionibus apta, Plato de legibus lib. 7. aperte docet. Doctrinarum enim publica adificia tripartito
in me-

in media vrbe locauit: foris verò in suburbijs equorū gymnasia: locaq; in super apla ordinauit, vbi iuuentus ad arcū, et telorū iactū instruatur, exerceaturq;. Quā constitutionē ius civile confirmauit in l. item si obstetrix. ff. ad l. Aquil. s. ultimo. vbi dicitur. Sed si per lusum iaculantibus feru⁹ fuerit occisus, Aquiliae locus est. Sed si cūm alij in cāpo iacularentur, feru⁹ per eū locū trāfierit, Aquilia cessat: quia nō debuit per campū iaculatoriū iter intēpestiue facere. De di-¹⁷uitijs quæ inter humana bona cōputantur, nihil necesse est ostendere nos, expedire Reip. locupletes habere ciues, idq; legislatoribus maxima cura esse. Vt enim in Phadone dicitur, ppter pecuniarū possessionē omnia bella nobis sunt: itaq; nihil ad hāc rem opus est monire. Quin utinā modò nostra rediret in moretēpora priscos, sed sanior ignibus Æthnae, feruēs amor ardet habēdi. Verūm cū authore Plat. li. 2. de Rep. nullus nostrūm ex seipso sufficiens sit, sed multorū indigens (prima namq; et maxima omnium indigētia, est preparatio vict⁹, ut et sim⁹, et viuam⁹, habitationis secūda, tertia vestitus, et huiusmodi) quā vnū ille putat, nō aliud extitisse ciuitatib⁹ cōstituēdis initiū, et foro nobis oninò, et nūmis
E 2 opus

opus est. Agrè enim aliter quàm emēdo, et vēden-
do inter se impertient ea, quæ singuli operantur: à
qua etiam doctrina non dissonant, quæ ab Aristot.
lib. 5. Ethic. de iusto commutatio, et repassione,
nūmo, et indigentia, sunt tradita. Quo fit, ut nō so-
lum principes, magistratus, equitesq; sint in Repu-
necessarij, verum et mercatores, agricola, textores,
sutores, quin et cupidinarij, cetarij, lanij, co-
qui, sartores, pistores, aucupes, ac reliqui Gnatho-
nis illius Terentiani salutatores, qui circa forū con-
stituti, et argento commutent cum his qui aliquid
vendituri sunt: et res quoque pro argento his lar-
18 giantur, qui empturi sunt. Quod si quis me inter-
roget, quemnam et in comparandis, et in erogan-
dis pecunijs modum probem, tenendumq; et ciuita-
ti, et ciuibus iudicem, Socratis mihi sententia pro-
fecto valde semper arrisit, lib. de Rep. 9. qui id ma-
ximè cauendum magistratibus monet, ne quid in
urbe è suo statu dimoueat, vel indigentia pecunia-
rum, vel copia. Et Athenien. hospes lib. 5. de legib.
oportere dicit, ut in ciuitate, quæ summi morbi ex-
pers futura sit (dissidium, aut seditionem, summū
morbum appellat) nec extrema in aliquibus ciuiū
inopia sit, nec ingentes diuitiæ: nam utraq; illa ab
utrisque

utrisque his gignuntur. Quare oportet, ut a legi-
slatore utrisque terminus statuatur. et lib. 3. de ll.
dixerat, in quocunq; hominū cœtu, neque inopia,
neque diuitiæ sint, iustissimos mores adesse. Neq;
enim ibi contumelia, neq; iniuria locū habet. Quā
sententiam Baleares in sula sibi videntur per sua-
sisse, de quibus Diodorus. S. ita ait, Aureo nūmo,
aut argenteo non vtuntur, quæ afferri ad insulam
prohibent, causam afferetes, Geryonē Chrysaoris
filium, auro, atque argento opulentissimū, quondā
ab Hercule bello expugnatū. Existimant enim eo
pacto, cum auro, et argento careant, sese facile om-
nes vitæ insidias euasuros. Hanc ob rē, cum olim
cū Carthaginensibus militassent, ex stipēdio impen-
so mulieres, ac vinū emptum secum retulere. Sed
de his satis, nunc ad maiora veniamus. Diximus 19
namque supra, ita corpus colendum, ac nutrien-
dum, ut ferina tamen, irrationalique voluptati nō
indulgeat: non enim nos querere decet, uti vel sa-
ni, vel formosi, vel robusti, vel diuites simus, nisi
vnā cum his et iustitiam coluerimus, ita ut cor-
poris harmoniam, propter animi consonantiam
temperemus. Quatuor enim virtutes fundamen-
ta esse Reipubl. sine quibus illa diu stare non pos-
sit,

fit, nihil necesse est nos dicere. Nemo est adeò & rationis expertus, & vita communis ignarus, qui dubitet virtutem animi esse sanitatem, pulchritudinē, & robur: prauitatem verò esse morbum, turpitudinem, & imbecillitatē. Morbum autem ita corpus inficere, ut perturbari, confundi, ac dissipari breuiter necesse sit, nulli dubium. Quapropter id nobis solummodo necesse est ostendere, quoniam modo à iure in ciuitatibus prudentiam, fortitudinē, temperantiam, iustitiamq; plantari conueniat, ut felici,
 20 beataq; prorsus vita, & statu Resp. potiatur. Est autē tunc reuera ciuitas sapiens, cum optimis abūdat consiliarijs. Perspicacia enim in consilijs, scientia quaedā est, quae benè consultā, et sapientē efficit ciuitatē. Siquidē propter fabrorū scientiā, fabrile: propter agriculturā, agricolariam, non prudētē Remp. appellaremus. Tunc sapientis meritò nomē sortitur, cum ea pollet in cōsultādo perspicacia, ut & quae foris, & quae domi gerēda sunt, rectē disponat. Parua sunt enim foris arma, nisi sit cōsiliū domi: verisimēq; abundās bellicis laudib; vir Gn. Pōpeius, multis audientib; dixit, frustrā se tertiuū triūphū deportaturū fuisse, nisi Ciceronis in remp. beneficio, ubi triūpharet, esset habiturus. Vnde Cicerone

cero in Catone maiore, siue de Senectute, eos qui cōsilio, et authoritate Remp. defendūt, similes esse ait gubernatorib; in nauigādo: qui cum alij malos scādiūt, alij per foros cursitāt, alij sentinā exhauriūt, illi dū in puppi quieti sedentes clauum tenent, multo maiora, et meliora faciunt, cum non viribus, aut corporis velocitate res magna gerantur: sed consilio & authoritate, & sententia. Quae verò in parte ciuitatis haec virtus locata sit, nūc facile quiuis intelliget. Si enim magistratus, & iudices fuerint prudentes, tota certē Resp. prudens erit. Ars autē id efficiendi ea profectio est, si nullius rei maior fuerit principibus cura, q̄ ut ad haec munera probatae fidei homines deligantur, dentq; operā, ne in ambigendis magistratibus, tennes opes, nulla facultates, exigua amicorum copia, si modo ingenio, & vsu sint fulta, vel cū aduersario gratiosissimo contendere pertimescāt: sed potius cuiusque causa, non ex opibus, sed ex veritate pendatur, honorem unicuique conuenientem tribuentes, totius potius Reip. commodum, ac salutem, quam singulorum gratiam, & utilitatem expectantes. Et ideo Pomponio lib. singulari. Enchiridij authore, & in l. 2. ff. de origine iur. prope finem. Optimus princeps Adrianus

cum ab eo viri pratorij peterent, ut sibi liceret respondere (primus enim ille, ut maior iuris auctoritas haberetur, constituerat, ut ex auctoritate eius responderent) optimè rescripsit eis, hoc non peti, sed præstari solere. Sabino autem qui in equestri ordine, iam grandis natu, & ferè annorū quinquaginta receptus erat, cui nec amplæ facultates erant, sed plurimum à suis auditoribus sustentabatur, ut populo responderet, à Tyberio Cæsare concessum est, nulla diuitiarum, nulla dignitatis, nulla gratiæ, sed virtutis, atq; eruditionis solum ratione habita. Ad hanc rem, illud Platonis lib. 3. de Re-
²¹publ. pertinet: Deum cum nos formaret, aurum in eorum generatione miscuisse, qui ad imperandū nati essent, propterea quòd essent honoratissimi: illis autem, qui ad auxiliandum, argentum indidisse: ferrum verò, atque as agricolis, atque alijs opificibus. Euenit quandoque, ut ex aureo nascatur argenteus, & ex argenteo similiter aureus: cæteraque ita vicissim. Quapropter ipsis principibus Deum Opt. præcepisse, ut singulari cura, & solertia dignoscant, quid ex quatuor his potissimum, in quorumcunque animis sit immixtum: & si quis ex aureis nascatur aeneus, aut ferreus, nullo pacto mise-

misereantur, sed honorem illi naturæ & conuenientè tribuentes, inter opifices, et agricolas mittant. Rursumque si ex ferreis nascatur aureus, vel argenteus, honorantes extollant, partim quidem in custodes, partim auxilios. Quasi oraculum sit tunc Remp. periturā, cum ipsam vel aeneus custos, vel ferreus gubernabit. Quo fit, ut nō tam cuius quis filius sit, ut ei provincia demandetur, spectandum sit, quàm illud considerandum, an per omnem vitā qua è republica sunt, procurauerit: qua verò cōtra, cauere didicerit. Atq; hoc illud est, quod prudentissimè Gregorium. IX. rescripsisse legimus in cap. fin. de off. & po. iudi. deleg. Sedem apostolicam providere, negotijs intendere, & non personis, quibus eadem committuntur. Illud autem obseruandum, attenteq; perspicendum, sit ne vera, atque immobilis, an falsa potius, & malitiosa eorum prudentia, qui in senatum sunt, aut in consilium publicum recipiendi, quique publicis sunt functuri magistratibus. Itaq; quemadmodum cum tentandi sunt pulli equini anniculi, aut bimi, sint pauidi, nec ne, ad strepitum, et tumultum ducuntur, sic & hi, quibus Reipubl. clauus est tradendus, inter terribilia primum, & aspera sunt impellendi, mul-
 E 5 toque

tòq, magis quàm igne aurũ examinandi, ut appareat, cuius eorũ in aduersis, & dubijs rebus callidiora sint, & salubriora consilia: in quietis cogitationibus splendidiores, et prudentiores sententiæ videantur. *Nunc eodẽ modo temperantiam investigemus, quæ rationis est in libidinẽ, atq, in alios nõ rectos impetus, animi firma, & moderata dominatio: de qua pauca dicamus. Nec enim nostri munus est, de his virtutibus, earumq, partibus disputare, sed id solũmodo ostendere, iuris finẽ, atq, scopũ esse, eas in ciuitate locare. Vi autẽ quæ sit ciuitas temperata, quaq, in parte Reip. temperantia collocetur, videamus, ita cõsideremus. Diximus supra in definitione iustitiæ, ad virtutẽ homines natos, malo cultu, prauisq,ue opinionibus ita corrũpi, ut igniculi ferẽ extinguantur à natura dati, exorianturq, & confirmentur vitia cõtraria. Ex quo illud apertè sequitur, duo cõtraria inuicẽ, atq, e regione pugnantia, in unoquoq, nostrũ esse. Vnu quod ad honestatẽ, religionẽ, pietatẽ, ac veritatẽ hortatur: alterũ, quod ad audaciã, vitium, & voluptates allicit, atq, impellit. Cuius rei clarissimus testis est Paul. ad Gal. c. 5 dum ait, caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus aduersus carnẽ. hæc enim sibi inuicẽ ad-*

uerfan-

uerfantur, ut nõ quæcunq; vultis, illa faciatis. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immũdicia, impudicitia, luxuria, idolorũ seruitus, veneficia, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiões, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrieta-tes, cõmessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agũt, regnũ Dei non consequentur. Fructus autẽ spiritus est charitas, gaudiũ, pax, patientia, benignitas, bonitas, lōganimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *Et ad Roman. c. 7. de se ipso ingenuè fatetur, dicens, Video aliã legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christũ dñm nr̃m. Igitur, ego ipse mente seruiõ legi Dei, carne autẽ legi peccati. De qua sententiã plura in ca. sed p̃sandũ. 6. dist. et in. c. si Paul. 32. q. 5. Cũ igitur ex alto spectãs lumine certo, Christ. varia discrimina pugna, nostri miserat. cum nobis auxilium mittit, ut spiritus, ratioq, carnẽ, sensualitatẽq, vincant.* (ita enim quod peius in nobis est, doctores appellant)

lant) temperantes tunc dicimur, atq; modesti. Vbi
 verò fortitudo cedit ignavia, iniustitia iustitiã su-
 perat, abstinentiam cupiditas, fidentiam diffiden-
 tia opprimit, intemperantes, crudeles, et minus mo-
 desti nominamur. Atq; hoc illud est, quod ab A-
 cademia principe dici solet, optimam esse victo-
 riam, ut seipsum quis vincat: turpissimum verò
 quiddam, et pessimum, ut à seipso vincatur. Quo-
 niam ergò, quemadmodum dictum est, nostrum
 quemlibet ad seipsum maximè affici, eodem mo-
 do singuli viri ad singulos, domus ad domũ, vicus
 ad vicũ, ciuitas ad ciuitatẽ, Resp. ad remp. se ha-
 bent: nunc facile intelligem⁹, ubi qui meliores sunt,
 deteriores superauerint, rectè domũ, vicum, ciuita-
 tem illã superiorẽ seipsa dici, & hoc triumphonon
 iniuria laudari: è diuerso autẽ ubi è contrario fit.
 Locare verò tẽperantiam in aliqua Reipubl. par-
 te, sicut prudentiã fecimus, difficile est. Consonan-
 tia enim est, & harmonia magis, q̃ reliqua virtutes
 similis. Et ut Platoli. 4. de Rep. voluit, instar har-
 monia, qua diapasõn dicitur, per totam ciuitatẽ dif-
 funditur, fortiores, ac debiliores, potentiores, ac
 23 medios efficiens egregiè consonantes. Quo fit, ut
 princeps legibus solutus sit: ut in. l. princeps. ff. de
 legibus

legibus, non quia ei iniqua liceant, sed quia is esse
 debet, qui nõ timore pœna, sed amore iustitiæ, equi-
 tatem colat, Reipub. procuret utilitatem, & in o-
 mnibus ciuium commoda, priuatæ præferat volun-
 tati. Quo etiam modo intelligẽdum est, quod à D.
 Paulo. I. ad Timoth. dicitur. c. I. Lex iusto nõ est
 polita, sed impio. & ad Gala. c. 5. Quòd si spi-
 ritu (inquit) ducimini, non estis sub lege: quasi
 dicat, iusti, religiosiq; homines, spiritu Christi vo-
 lentes ducuntur, non metu trahuntur ad ea inuiti,
 qua sunt honesta, piaq;. Similiter que cum dicimus, 24
 ea qua principi placent, legis habere vigorem, ut in
 l. I. ff. de cons. princip. intelligendum est, quia princi-
 pi placere non licet, nisi quod lex, aut equitas per-
 suadet, aut ratio cõmunis utilitatis inducit. In his
 autem eius voluntatem vim habere iudicij, decẽs
 est: & rectissimè quod ei tunc placet, legis habet vi-
 gorem. Vnde digna vox est maiestate regnantis,
 legibus alligatum se principem profiteri, ut impera-
 tores Theodos. & Valent. Volusiopræfecto prætò-
 rio rescripserunt, in. l. digna vox. C. de legibus. Ve-
 rum ne id quidẽ satis erit, nisi & clarissima præ-
 25fecti prætorio dignitas sibi, quod est verissimũ, per-
 suaferit, non ob id ab eius sententijs appellandi fa-
 culta-

cultatē, principali sententia cōtra ius, et cōtra maiorum instituta, interdictā esse, ut sibi quodlibet liceat: sed ob id potius q̄ crediderit princeps, eos qui ob singularē industriā, explorata eorum fide, & grauitate, ad huius officij magnitudinē adhibentur, nō aliter iudicaturos esse pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quā ipse foret iudicaturus, ut egregiē docet *Aurel. Arcadius Charisius magister libellorū lib. singul. de off. præf. præt* Nec aliter & proconsul, quāuis plenissimam iurisdictionē habeat, omniumq; partes, qui Roma, vel quasi magistratus, vel extra ordinē iudicūt, ad ipsum pertineant (ut li. 2. de off. proconsul. tradit *Vlpia.*) & ideo maius imperiū in ea prouincia habeat omnibus, post principem. (ut idem *I. C.* docet li. 39. ad edictū) nec quicquam sit in prouincia, quod non per ipsum expediatur. Obseruare autem proconsulem oportet, ne in hospitij præbendis oneret prouinciam. Xenij quoque modum adhibere debet, ut neque morose in totum abstineat, neque auarē modum xeniorum excedat. Nam valdē inhumanū est, à nemine accipere: sed passim vilissimū, & omnia auarissimū. Et mandatis quoq; continetur, ne donum, vel munus ipse

procon-

proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematue quid, nisi viēt^o quotidiani causa. Quod quāuis ad xeniola non pertineat, sed ad ea quæ eduliū excedunt usum, tamē & xenia producenda non esse ad munerū qualitatem, legibus statutū est in. l. solent. ff. de off. proconsul. & leg. Præsides quoq; quorū in prouincia imperiū maius est omnibus, post principē, ut in. l. præses. ff. de off. præf. omnia enim prouincialia desideria (ut *Mart. li. 3. instit. scripsit*) quæ Romæ varios iudices habēt, ad officium præsidis pertinet. Meminisse tamē oportet quod *Macer I. C. li. 1. de off. præf. scripsit, senatus consulto cauere*, ut de his quæ prouincias regentes, comites, aut libertini eorum, antequam in prouinciam venerint, contraxerunt, parcissimē ius dicatur. Et *Modest. li. 5. regula. plebiscito contineri dixit*, ut ne quis præfidū munus, donū caperet, nisi esculentū, potulentumue, q̄ intra dies proximos prodigatur. Quorū sententia legibus cōfirmata sunt in. l. senatus consulto. & in. l. plebiscito. ff. de off. præf. & ut uno verbo omnium magistratū munera cōplectamur, caueāt oēs iudices, & prudēter attendāt, ait *pontifex in. c. 1. de sent. et re iudic. in. 6.* ut in causarū processib^o nihil re

dicet

dicet odium, vel fauor vsurpet, timor exulet, præmium, aut spectatio præmij iustitiã non euertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententijs, & ferendis, præ oculis habeant solum Deum. Est ergo maximũ hoc, & præcipuum, in Repub. temperantiæ fundamentum, licet id solum temperatam Remp. non efficiat, si principes, magistratusque temperantes sint. Quid est enim negotij continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas? Certè qui pecunia, voluptati, omniumque rerum cupiditati resistit, nullum periculum est, ne improbum negotiatorem, paulo cupidiorum publicanum comprimere nõ possit. Verum Imperatores, Reges, Proreges, te quoque illustrissime Præses, & vos senatores illustres, hæc habere, ut certè habetis, virtutes, nequaquam satis est, sed circumspectandum est vobis diligenter, ut in hac custodia imperij, & gubernatione, nõ vos unus, sed omnes ministros imperij, socijs, & ciuibus, et Reip. præstare videamini. Neque satis est, post iniunctã prouinciam, scrutari omnes eorũ sordes, excutere unumquemque illorum. Si enim delectus, non ex

tate,

tate, honore, et dignitate præstantibus fiat: sed ex ambitiosis, & adulatoribus, nihil mirandum est, si quouis signo, quouis pictura, quouis veste, quouis mancipio, quouis forma, quouis conditione pecunie, ab integritate, continentiaque deducantur, eaque potestate, quam ad dignitatem acceperunt, ad quæstum, & turpe lucrum vtantur. Sed prius, ut supra diximus, probandi sunt, tales ne sint, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ, & anxie de existimatione sua laboraturi, ut quantum fidei, in quocunq; fuerit illorum, tantum eius fidei, nec amplius committatur. Deinde ut ea, quam supra tradidimus, harmonia egregie in ciuitate consonet, ab his non minori cura & diligentia elaborandum est, ut maximus in urbe paupertati, ac parsimonia honos sit, clementia, modestiaq; & continentia amplissimus locus: otium verò, luxus, libido, auaritia, et abundantes voluptates procul absint. Sint constantia, moderationis, temperatiã, verecundia prima in ciuitate partes: ioco autem, ludo, ac reliquis remissionibus urbanis, ingeniosis, liberalibus, uti illis quidem liceat, sed sicut somno, & quiete, tum maxime, cum grauibus, serijsq; rebus satis fecerimus. Qua de re optimè imperator Diocletia-

nus rescripsit in. l. unica. C. de expens. ludo. lib. ii. dicens, Cùm præsidem prouinciæ impensas, quæ in certaminis editione erogabantur, ad refectionem murorum transtulisse dicas, & quod salubriter deriuatum est, non reuocabitur, & solenne certaminis spectaculũ, post restitutã murorũ fabricam, iuxta veteris cõsuetudinis legem celebrabitur. Ita enim & tutelę ciuitatis, instructę murorũ præsidio, providebitur, & instaurandi agonis voluptas, confirmatishis, quæ ad securitatis cautionem spectant, insecuti temporis circuitione repræsentabitur. Et in. l. i. ff. de off. præf. urb. disciplinã spectaculorum ad præfecti urbi curam pertinere dicitur, debere tamen illum dispositos milites stationarios habere, ad tuendam populariũ quietem, & ad referendum sibi quid ubi agatur. Et in. l. 7. de off. Procons. & legat. proconsuli præcipitur: si in aliam quam ciuitatem celebrem, vel prouincia caput aduenerit, patiatur commendari sibi, ciuitatẽ laudesq; suas non grauatẽ audiat, cùm honori suo prouinciales id vindicent: & ferias secundum mores & consuetudinem, quæ retrò obtinuit, concedat. Danda sunt igitur blandimenta plebi, indulgendum

gendum est aliquid popularibus ingenijs: non omnes ad grauitatem, & magnitudinem animi finxit natura, non omnes magnos homines, & excelsos. Exorari verò, placari, misereri, & ignoscere ita oportet, ut resipiscendi potiùs consilium clementia, quàm peccandi tribuat lenitas ansam. Siquidem nunquam ciuitas temperata erit, nisi ciuium non modo affectus, & cupiditates à legibus, verùm & incessus, & gestus unius cuiusque moderetur. Ridiculum enim esset, si quis auaritiam, luxuriam, temeritatẽ aliundẽ, quàm ex sordidis, luxuriosis, & perditis hominibus, in ciuitatem immigrasse existimaret. Similiterq; & prudentiã, iustitiam, fortitudinem, & temperantiã, alios quàm sapiẽtes, iustos, magnanimos, & modestos in Rẽp. inuexisse contenderet. Vndẽ prudentissimẽ apud Iurisconsultos non solum sunt iudicia de adulterijs coercen. de i. publi. de sicarijs, & veneficis, ad l. Iuliam maiestatis. ad. l. Pompeiam de parricid. de falsis, Repetundarum, peculatus, & ambitus, sed et de his, qui effuderint, vel deiecerint, de seruo corrupto, de aleatoribus, de adilitio edicto, de rehibitionibus, alijsque innumeris, in quibus quantũ cura sint, non solum magna, ardua que negotia

iurisconsultis, verum et forma, status, ordo, moderatio vultus, voces, motusque corporis, liquido constat. Prudentissimè certè (nec fallor) ubi enim paulatim, sensimque, vel apud eos, qui numerus, nullo in numero sunt, labi siueris disciplinam, veluti dissidentes primò mores sequuntur, deindè magis, magisque labuntur, donec præcipites eò perueniunt, ut appetitus omnes contrahere, sedareque, et ad officij formam reducere, vel seuerissima excitata animaduersione, et diligentia non valeas. Denique ne diutius morer, ut Respubl. temperata sit, illud unum efficiendum est, ut in magistratibus, priuatis, ciuibus, peregrinis, omni denique parte Reip. appetitus, qui hominem huc, atque illuc rapiunt, rationi (qua docet, et explanat quid faciendum, fugiendumque sit) obediant: eamque neque præcurrant propter temeritatem, neque propter pigritiam, aut ignauiam deserant, sintque tranquilli, atque omni animi perturbatione careant: ex quo omnis constantia, 26 omnisque moderatio elucebit. De fortitudine nunc sequitur ut videamus. Est autem ea ciuitas habenda fortis, atque magnanima, qua pro salute communi pericula, et labores subire parata est, nulloque metu frangitur: sed inuictam se ad propulsandam

iniu-

iniuriam præstat: et ut cum Stoicis definiamus qua magno animo, excellenterque pro æquitate propugnat. Artem autem id efficiendi ius esse, tunc facile quisque intelliget, cum nos qua in parte ciuitatis, et qua industria fortitudo locanda sit, exposuerimus. Quod verò ad primum attinet, nemo est, qui ciuitatem vel timidam, vel fortem vocet, aliud quidquam respiciens, quam id quod pro ipsa pugnat, ac militat. Vendicant igitur sibi hanc partem, exercitus, legiones, cohortes, turmae, phalanges, magistri equitum, tribuni militum, alijque innumeri, quorum diuersa sunt in bello munera: quos omnes ingenti in periculis, et laboribus elatione animi, non pro suis commodis, sed pro salute Reipubl. strenuè pugnare oportet: nullaque alia re magis inflammari, quam cupiditate vincendi. Armandi sunt autem non tantum galeis, ocreis, thoracibus, loricis, parmis, peltis, cetris, et umbonibus, sed duabus potius rebus, quibus omninò fortis animus, et maximus maxime ceruitur. Prima est rerum externarum despicientia, ut persuasum sibi sit, nihil hominem nisi quod honestum, decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullisque neque perturba-

F 3 tionibus

tionibus animi, nec fortuna procellis succumbere. Altera est, ut cum ita fuerint animo affecti, res gerant, magnas illas quidem, & maximè utiles, sed uehementer arduas, plenasque laborum, & periculorum, cum uitæ, tum multarum rerum quæ ad uitam pertinent: quibus ita persuasis, uel certam uictoriam auderem promittere. Nihil illis Germanorum frameæ, Thracum romphææ, Hispanorum lanceæ, Boiorum yssi, Macedonum farissæ, Illyricorum sybini, nec Romanorum pila nocerent: tormenta omnia, testudines, arietes, vineas, pluteos, musculos, turres, & malleolos iure contemnerent. Ut autem hac pars à qua ciuitas fortis nomen sortitur, fortis & ipsa sit, duo sunt legumlatoribus maximè procuranda. Primum ut iuuenes, qui inuicto, & sanguineo Marti sunt consecrandi, à teneris, quod aiunt, unguiculis, à libidinibus arceantur, & demum confirmata parumper ætate, in labore, patientiaque, & animi, & corporis exerceantur: ut eorum in bellicis, & in civilibus officijs uigeat industria. Ad quæ illa pertinent, quæ supra diximus, ubi de uiribus agebamus. Alterum est, ut & strenuè pugnantibus, magnanimis, fortibus, & egregijs uir

ris, qui uitam, & sanguinem pro salute Reipublicæ deuouerunt, præmia, stipendia, privilegia, immunitates, honores decernantur: de fertoribus autem, emansoribus, transfugis, exploratoribus, irreuerentibus, timidis, ignauis, & proditoribus castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, & ignominiosa missio parentur. Id autem à iure civili accuratè fieri, non est quòd una, aut altera lege probemus, cum innumeris titulis, his, atque illis, & honoratissima præmia, & infames pœna statuuntur: ut. ff. de captiuis. & de postliminio. & redemp. ab hostibus. et iterum de castr. pecul. de veteranis, de remilit. & ne singula prosequamur, C. lib. 12. nihil ferè aliud continet, quàm quæ ad disciplinam pertinent militarem. Restat autem dubium, non tam intellectu 28
 ètu difficile, quàm tractatu iucundum. Quando in plerisque rebus mediocritas optima est: ex eo enim liberalitas commendatur, quòd neque per luxum, atque libidinem uti prodigus omnia perdat, neque pecunijs, ut auaro contingit, seruiat, omnesque sordes exquirat: nec aliunde fortitudo multarum uirtutum fons est, & origo: quàm quòd & timorem pellat, & præcipitem
 F 4 auda-

audaciam comprimat. Quidnam est causa, quod tot premijs, ac pollicitationibus ad audaciam, non solum à ducibus in bello, verum frequenter à legibus impellamur? inde certe hoc provenit, quod quavis omnes virtutes mediocritate quadam moderetur, sunt tamen illæ semper ad alteram partem propensiores. Medium inter lenitatem, & severitatem tenet clementia, est tamen paulo ad benignitatem propensior. Et luxuriam, et avaritiam fugit liberalitas, est tamen largitioni vicinior. Nec aliter & fortitudo, quam vis & timiditati sit inimica, & temeritati contraria, audacia tamen potius, quam pusillanimitati fauet. Quo fit ut quamvis iram freno, catenaque compefcere, fortis animi ducendum sit, tamen depulso metu, qui tranquillitatem animi, & securitatem præ cæteris perturbationibus turbat, ea quæ videntur acerba, et terribilia ita ferre, ut nihil à statu naturæ dimovearis, discendasque nihil à dignitate sapientis, robustioris animi est, magnaque constantia. Longius enim timor à fortitudine, quam audacia distat. Ex eo igitur, quantum ego opinione auguror, isti ipsi iustitiæ præceptores, & virtutis magistri, fines officiorum paulo longius quam mediocritas, & rectitudo vel

le vi-

le videbatur, protulere: ut cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen ubi oporteret, consistere. Nihil necesse est à ducibus commendari, vel legibus præcipi, ut quisque se defendat, vitam tueatur, sanguinemque suum ne profundi ab inimicis patiat: si res in periculum venerit attentè audiat, ut cum primum receptui canetur, se colligat. Hæc ad eò omnibus cura sunt, ut vel in eos, qui à fossato recedunt, quiue stationis munus relinquunt, qui ab excubatione desistunt, qui in bello arma amiserint, qui agmen excefferint, qui in acie priores fugam fecerint, severissimam esse animadversionem constitutam, non sit satis: ne cum primum bello dat signum rauca cruentum buccina, alij metu hostium languorem non simulent, alij turpi fuga vitam redimant. Audaciam verò non solum non necesse est comprimere: verum & ijs, qui primum muros ascenderint, qui civem servauerint, qui hostes vulnerauerint, qui inimicos fugauerint, iustissimi sunt decernendi honores, & ornatisima premia proponenda. Quæ dum persequimur, quod ultimum, ac maximum erat inquirendum de iustitia, in manibus est. Cuius si ea potissimum virtus est, ut suum cuique tribuat, ea certè

F 5 civitas

ciuitas iusta erit, ubi pueri, mulieres, serui, liberi, artifices, magistratus, milites, & privati, unusquisque opus suum exercet, minimè per aliena vagatus: & tam iuuenes, quàm seniores, tam ciues, quàm peregrini suum negotium agunt, & munera sibi tributa exequuntur: nihil de alieno inquirentes, minimèque in aliena domo curiosi. Est siquidem proprium iustitiæ munus, omnia quæ supra examinauimus bona, in ciuitate & locare, & publicè, atque priuatè, tam corpori, quàm animo quod suum est tribuere. Atque hoc illud est, quod prouerbio dicere consueuimus Iustitia in se virtutes continet omnes. Et Aristoteles iustitiam de omnibus dictare dixit. Præcipit enim lex, et ea agere, quæ ad virum pertinent fortem: ut non deserere locum in acie, non fugere, non abijcere arma, & item ea quæ sunt temperantis, ut non committere adulterium, non libidine uti: & ea etiam quæ sunt mansueti, ut non percutere, non contumelia dicere, & in cæteris similiter virtutibus, atque uitijs. Unde quamuis inter Philosophos omnes constet, qui unam habeat, omnes etiam habere virtutes, si tamen aliquo modo ad opinionem communè accommodata oratione seiungi possunt, iustitia plus
 omni-

omnibus pollet. Prudentia enim sine iustitia, nihil valet: imò quo quis, ut Cicero ait, versutior, et calidior est, hoc magis inuisus, & suspectus detracta opinione probitatis: iustitia verò, vel sine prudentia, satis habet authoritatis. Similiterque temperantia, & fortitudo iustitiæ coniunctæ, quantum virum volent, habebunt: quæ si distinguas, parum poterunt. Atque hæc est, quantum coniectura assequi possum, ratio: cur, licet non solum quæ ad iustitiam pertinent à legibus imperentur, sed & quæ fortitudinis, temperantiæ, & prudentiæ sunt, us à iustitia appellatum Vlpianus dicat, non ab alia virtute: quod siue uniantur virtutes, iustitia in sese continet omnes, siue diuidantur eadem reliquis omnibus præstat. Nunc quod ad æquitatem pertinet, breuiter absoluamus: id enim est ultimum in definitione iuris. Æquitatem autè hic accipi pro leni iure summum ius mitigante, atque riguroso, et superstitioso iuri opposito, non existimo: licet Budæo, alijsque multis valde illa arriserit interpretatio. Quod si esset, difficile ius à bono, & æquo distingueretur: cum dicamus bonum, & æquum, moderatum ius esse, & bene. Illa verò distingui necesse est, si ius est ars boni,

boni, & æqui. Aliud enim oportet sit ipsum ius, aliud æquum, & bonum, quorum ars ius dicitur: quemadmodum aliud sermo, aliud pronunciata, aliud visus, aliud visa, & auditus similiter atque auditæ: nec non lex aliud, aliud lege mandata, ut
 31 in Minoe docemur. Quapropter æquitatem nos altius consideremus, ac videamus si quid in hac re proficere possimus. Eam autem Cicero in Topicis ad Trebatium ita considerat, tanquam multarum partium genus, & caput. Atque eodem modo hic arbitror definiendam, ut eius artem ius esse recte dicamus. Cum autem, inquit Orator, de æquo, & iniquo differitur, æquitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartitè, & natura, & instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, et ulciscendi ius. Institutio autem æquitatis tripertita est. Una pars legitima est, altera conuentis, tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam æquitas tripertita est: una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinet. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia, aut æquitas nominatur. Dicemus ne igitur æquitatem hanc breuiem, ad homines pertinentem, illius amplissima æquitatis partem ius tradere, eiusque artem ius esse,
 pietæ-

pietatem verò, quæ superos colit, & sanctitatem, quæ ad manes attinet, iura contemnere? non certè. Quinimò reliquas omnes leges illuc tendere oportere, supra diximus, ut intelligant homines bona quacunque gesserint, ad Deum authorem referenda, pietatemque præ cæteris virtutibus colendam. Nec verò huic diuisioni obstat, quòd in partitionibus idem Cicero dixerit, pietatem esse etiam erga parentes. Et aperte in oratione pro Gn. Plautio: omitto (inquit) illa, quæ si minus necessaria sunt, at certè cum sunt prolata, laudantur: ut uiuat cum suis, primum cum parente: nam meo iudicio, pietas fundamentum est omnium virtutum. Et in oratione pro Lucio Muræna, pietatem ad propinquos etiam, & consanguineos extendit. Quibus in locis pietatem pro bonitate posuit. Nam verè pietatem in religione esse lib. I. de natura deorum Cicero est author: esse autem ad definitionem iuris hunc sensum verissimum, & intellectum liquido patet. Ipsum Vlpianum quæ paulò antè dixerat, interpretantem audiamus. Huius (inquit) studij due sunt positiones, publicum, & priuatum. Et demum publicum ius, ait, in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. Priuatum
 ius

ius tripartitum est. Collectum etenim est ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Ius gentium est, quo gentes humanæ utuntur, veluti erga Deum religio: ut parentibus, & patriæ pareamus: ut vim, atque iniuriam propulsemus. *Et paulo post* Ius civile est (*inquit*) quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei feruit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est, civile efficimus. Hoc autem ius nostrum constat aut ex scripto, aut sine scripto. *Videtisne igitur, ut Iurisconsultorum responsa, & Philosophorum placita, verbis parum discrepent, re autem nihil? sed quid opus rem adeò apertam privatis probare dispositionibus, atque ad id Iurisconsultorum fragmenta colligere? Circa aliam ne re quinquaginta Pandectarum libri versantur, quam circa partes equitatis à Cicerone tributas? Ad illius certè divisionem, ac traditionem digesti de industria, & aptati videntur. Illa enim quæ in titulis ff. ad leg. Aquil. ne vis fiat ei, de vi, & vi armata, de dolo malo, & metus exceptione, de iniurijs,*

& fa-

& famosis libellis, de vi publica, de vi privata, de sicarijs, & veneficis, de parricidijs traduntur, aliud ne continent, quam duas naturæ partes, tuitionem sui, & ulciscendi ius? Prima verò institutionis pars, quæ legitima est, & tertia moris vetustate confirmata, nonne titulis Digest. de legibus, Senatusconsultis, & longa consuetudine, de constitutionibus principum, de diuisione rerum, & qualitate, alijsque multis continetur? Media, quæ conuentis confirmata dicitur, quos non in iure civili libros occupat? De sanctitate enim ad manes, & equitate ad homines pertinente, quodque maximum est, de pietate erga Deum, nihil necesse est nunc dicere, cum ea sint præcipua, quæ duo humani generis lumina, Plato in bonorum, & Cicero in equitatis partitionibus, nobis proposuerunt. Ad quæ Principes, placita: Senatus, consulta: Plebs, scita: Decuriones, decreta: & gubernatores, statuta: tanquam ad scopum dirigere necesse est, si se, suasque civitates, & Resp. saluas velint. Hoc autem quando ordine præscripto seruasse Iurisconsultos ostendimus, illud perferretur, cur nam bonorum, et equitatis artem ius esse dicamus. Negaret enim quispiam, qui minus

Celsi

Celsi auctoritatem vereretur, artem esse ullam, nisi qua cognitis, penitusq; perspectis, & in unum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineatur: idque vel teste Cicerone lib. 1. de Oratore probaret: & dum ait lib. 2. artem earum rerum esse, qua sciuntur. Sed et à Iurisc. in. l. neque leges. ff. de legibus dicitur, neque leges, neque senatus consulta scribi posse, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficere ea, qua plerunque accidunt, contineri. Et rursus in l. nō possunt. ff. eo. tit. Non possunt (ait Julianus) omnes articuli figillatim, aut legibus, aut senatus consultis comprehendī. Et Neratius li. 6. membranarum, rationes eorum, qua constituuntur, inquiri oportere negat, alioqui multa ex his, qua certa sunt, subverti fatetur. Ergo minus prudenter Celsus, ius artem esse, dixisse videtur. Vt enim à Platone in Gorgia optimè dicitur, nō est ars dicenda, sed peritia quadam, qua nullam habet
 35 rationem eorū qua affert, qualia natura sint. Hūc nodum ex his qua in Academia didicimus, dupliciter explicemus. Plato in dialogo civili, vel de regno, artes geminas, circa omnia qua sunt, considerare precipit. Vnam (ut ita loquar) concausam, al
 teram

etram verò causam ipsam. Quacunque, inquit, rem ipsam non fabricant, sed fabricantibus organa subministrant, eas concausas nominamus: eas autem ipsas qua principaliter faciunt, causas appellamus: ut exempli gratia, qua colum, fusum, radium, pectinem efficiunt, & alia circa vestium operam instrumenta preparant, artes concausas nuncupemus, illas autem qua vestimenta curant, & efficiunt, artes causas. Ad eundemq; nos modum (quod ad rem attinet) ius ipsum per se sumptum, purum, & perfectum, ut à iustitia descendit, non solum artem boni, & equi, verum artem, causam scilicet, quod bonum, & equum est efficientem ponamus, constantem, certam, perpetuamq;, ut supra in definitione iustitiæ ostendimus. Indiget autem hac ars quibusdā alijs artibus concausis, sine quibus illa exequi non potest, nec ad usum, exercitium, et actionem, in quibus virtus ostenditur, pervenire. Sunt autem hæc leges, consuetudines, statuta, magistratus, et iudices. Frustra enim iura essent condita, si non essent, qui illa executioni mandarēt, ut in l. 1. s. post originem. ff. de orig. iur. et in c. ubi periculū. s. prater ea. de elect. in. 6. Quos omnes, ut tempus, et occasio postulat, ita decernere, et statuere

re æquissimum est: nec permanendum in una sententia conuersis rebus, sed quid res, quid causa fuerat, quid tempus, optimè perspicendum. Incidunt namque sæpe tempora, ut ea, quæ maximè iusta videntur, commutentur, fiantque contraria. Ac veluti si medicus imminente longa peregrinatione, procul ab his quos curat, ab futurum diu se putet, diffidensque illorum memoria, monumenta quadam agendorum præscribat, præter opinionem autem occyus, quàm putauerat, reuertatur: non verebitur alia illis præcipere, præter ea, quæ quondam scripserat, si qua salubriora ægrotantibus adhiberi possint: nec ambo perseuerabunt in priori proposito, ut neque ipse mandare alia velit, nec ab ægrotante alia præter solita obseruari, quasi & medica artis propria sint illa, & saluberrima: sed potius ut fuerint diuersa in corpore perturbationes, & motus, diuersa adhibebuntur medicina, & remedia: neque aliter præstantibus in Republ. gubernanda vris licebit, cum in aliqua causa sententia manifesta est, ad similia procedere, atque ita ius dicere: quotiensque unum, aut alterum introductum est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certè iurisdictione supplere.

Vt e-

Vt enim in nauigando, portum si possis mutata uelificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cæperis, sic cum omnibus in administranda Republica propositum esse debeat, ut vincat iustitia, neque ullus detur iniuria locus, æquus est, salubriter pro utilitate hominum noua introducta dispositione, suum cuique tribuere, quàm dum obsoletam iam, & deciduam legem ad unguem seruare intendunt, iniuriam facere. Atque huc respexisse arbitror Innocentium. III. cum in. c. non debet. de consang. & affinit. Non debet (inquit) reprehensibile iudicari, si secundum varietatē temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cum vrgēs necessitas, vel euidēs utilitas id exposcit: quoniã ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo. Vnde gl. illa merito à Bartolo, & ab alijs reputatur singularis in. l. i. C. de legitim. tutorib. dum ait, quod correctæ ratione legis, dicitur correctæ a ipse alex, de quo plura Canonista in. c. post translationem, de renuntiat. & Alexand. in. l. i. col. 3. ff. solu. matrimonio. Sed iam iterum eandem rem alio modo cõsideremus. Circa quodcumque tres esse artes, ut entem, facientē, 36

G 2 &

Et imitantem, Plato lib. 10. de Repub. docuit. Virtutem autem, pulchritudinem, et rectitudinem cuiusque instrumenti animalis, et actionis, non ad aliud referri dicit, quam ad usum, cuius gratia quodcumque est factum, vel genitum. Tibicen igitur ad quem utendi ars pertinet, de aptis, et ineptis tibijs, utpote is qui artem intelligit, pronunciat, nec fallitur. Huic tradeti, qua ad usum aptissima sunt, si effector tiliarum fidem praestet, eas quales oportet facit. Imitatores autem, seu pictores opinionione solummodo, nulla intelligentia ducuntur: unde iocus quidam ferè eorum ars est, non res seria. Idem in ea re, quam declarare paramus, euenire facile nunc quisque intelliget. Est nanque ius per se sumptum, prout in se virtutes, et earum usus continet, ars boni, et aequi, perpetua, immobilis, sempiterna, non opinionibus, sed veritate, et natura constans, qua neque inslecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia potest: quam qui didicerint, eiq; fidem dederint, nunquam aberrabunt, neque aliter, quam decet iuris professores, respondebunt. Quod si aliquando videmus non rectè aliquid statuere eos, qui consuluntur, non iuris vitio, aut huius artis culpa id accidere dicendum

dum est: sed eos, qui id statuunt esse ius, quod iniquum esset iudicare, non iuris numerare peritos, sed praestigiatores, impostores, et imitatores falsos appellare conuenit. Similiterq; si contra patronorum dicta, et responsa aliquando iudicatur: si perperam, non iuris prudentia, sed iudices potius improbi, et iniqui vituperandi: sin rectè, id fuit ius quod iudicatum est, illi verò non iuris periti, sed stulti homines, et ignari. Atque hoc illud est, quod à Platone lib. 1. de Repub. dicitur, arti nullum errorem inesse, et paulò ante dum ait, nullus artifex peccat: ex eo nempe quod quisquis, dum peccat, deficiente illius artis scientia peccat, in quo iam sanè non est artifex. Cuius meritò quis nos sacerdotem appellet. Nihil necesse est in horum verborum explicatione diutius nos immorari: qua autem ab antiquioribus dicuntur, nihil faciunt ad rem. Baldus ait, opponitur, et videtur, quod doctores non sunt sacerdotes, quia sacris ordinibus non sunt insigniti. Solutio, inquit ille, sacerdotium aliud spirituale, et sic loquitur contrarium: aliud temporale, et sic loquitur hic. Accursius ex eo iuris professores sacerdotes dici credit, quia sicut sacerdos ius cuiq; tribuit, in danda poenitentia, ita legum

professor in iudicando. Melius profecto, quantum ego sentio, recentiores, è quibus, ob id venerandos illos Jurisconsultos sacerdotes dictos, firmat Budaus, quod omni genere literarum instructissimi, gratuitam, non quaestuariam iurisprudentiam exercentes, in publicum quotidie prodeuntes, unicuique civium se consulendos, antiquo instituto praebebant: & responsa boni, & aequi plena reddebant, candidissima virtuti iustitiae consecrati, quemadmodum singulis diebus sui erant consecrati sacerdotes, qui de futuris, atque agendis, consulentibus responsa darent. Roscius lib. 1. memorabilium cap. 10. hac explicans verba, Quemadmodum (inquit) sui singulis diebus consecrati erant sacerdotes, ita iurisperiti Themiti dea, quae credita est ius, fasque & iustitiam custodire: aut Dica, quae dea iudiciorum, seu praeses dicta est ob id Graece, quod lites, et contentiones dirimat. Nam & eius dea diaconi, & ministri iudices dicebantur, quasi litium diremptores. Hotomanus in lib. de optimo genere interpretandi, hinc, ait, Jurisconsultos iustitiae sacerdotes appellari videmus, quippe qui iustitiae deae oracula, & responsa consulentibus enuntiet. Sic enim sensisse Vlp. mihi quidem dubium videri non potest,

ta-

tametsi longè aliter verba ipsius ab eruditissimis quibusque vulgò intelligantur. Sic autem & legendum, & interpungendum esse locum existimo. Ius est à iustitia appellatum (nã vt eleganter Celsus definit, ius est ars boni & aequi) cuius merito nos quis sacerdotes appellet. Vt vox, cuius, non ad ius, sed ad iustitiae deae nomen referatur. Cum satis constet non artis alicuius, sed deorum sacerdotes dici consueuisse. Horum ego interpretum explicationem verbis iurisconsulti egregie conuenire, vel ex his quae sequuntur, mihi libens persuadeo, Ea sunt Iustitiam namque colimus, boni, & aequi notitiam profiteamur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes. Quae verba, sicut definitionem iuris, de aequitate plerique intelligunt, summum ius mitigante. Quod ego, quo possit stare modo, non video. Primum, quia aequitas aut amplior, et angustior est quam ius, vel contra. Si angustior est aequitas iure, qui fieri potest, ut ius aequitatis ars rectè dicatur: quandoquidè aequitas ius corrigit, emendat, et interpretatur: conuenientius tunc diceretur, aequitatem iuris artem esse. Si verò aequitas sub iure, tanquam species sub genere continetur. Peccauit in diffinitione iuris Celsus quandoquidè ius generali

ter sumptum, & rigorem, & aequitatem continet: severitatisque non minus, quam facilitatis artem ius esse, dicere oporteret. Deinde si ut Salomoni & Connano placet, aequitas scripto contineri non potest: sed cum primum quod aequum est lege, vel statuto disponitur, nomen aequitatis amittit, vocaturque ius legitimum, deridendus certe est Iurisconsultus, qui earum rerum esse artem ius dixerit, quae nullo iure continentur. Quod si dixerint iuris vocabulum generale esse, cuius species, aequitatem, atque ius legitimum, Salomoni atque Connano assignant: in hac sententia triplex latet morbus. Primus, quod de ea re, quam ipsi incertam fatentur, artem dicant esse. Secundus, quod cum ius generaliter sumptum, hic diffiniri affirmet, atque illud duas continere species dicant, turpiter labi sinunt iurisconsultum, dum ex duabus generis partibus, unam volunt in definitione praeteritam. Tertius, si quo fateri modo cogere mur, ex his duabus iuris partibus, unam tantum intellexisse Celsum, de scripto & certo iure, non de aequitate hic agi dicendum esset: cum paulo post idem Ulpianus, ad partes huius artis & definitionis deveniens, huius dicat studij duas esse positiones, publicum, & privatum, quibus

quibus omnia iura divina & humana, scripta & non scripta continentur. Sed nolo hac in re diutius esse molestus. Hoc meum hac in re iudicium neminem sequi cogo, nisi probaverit: si quoddam aliud est suum, vel alterius cuiuspiam, quod sibi similis veri videatur, stet illi, per me libenter assentior. Neque enim quicquam tam mordicus assenvero, maxime cum ipsum verum tam in occulto lateat, quin iudicem aliud alias mihi posse videri. Jam quid sit licitum ab illicito discernere, uno verbo monstremus, ut deinceps ad reliqua veniamus. Id egregie ostendisse, ut pleraque omnia, Ciceronem, in oratione pro Lucio Cornelio Balbo existimo, dum inquit: quid ait accusator fecisse Pompeium, quod ei facere non licuerit, quod gravius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Est enim aliquid quod non oporteat, etiam si licet. Quicquid vero non licet, etiam non oportet. Hac ille: quasi diceret id solum modo nobis licere, quod decorè, moderatè, modestè, continentè, temperanterque possimus. Si quicquam sit huic talium virtutum choro contrarium, id illicitum esse, quod si illicitum, inutile omnino esse existimandum. Illud notandum est, quod ait, Iustitiam namque co-

limus, boni & æqui notitiam profiteamur.
 40 Quibus docemur, iuris ac legum professoribus in primis necesse esse ut virtutes, & earum partes rectè norint, cum sint illæ principia, & fontes, unde æqui & iniqui, liciti & illiciti haurienda natura sit. Unde non indoctè Lucas de Penna in. l. 1. C. de metropol. lib. 11. tradit, virtutum materiam scribere, ad simplicium iuristarum eruditionem, utilius esse, quàm repetere. l. Gallus. Quod si fieret, nõ illud certè eueniret, quod videmus sæpè facere interpretes, unius incertæ (ne dicam falsæ) conclusionis occasione, innumera annexere, quæ nulli, vel mediocriter erudito, probari possunt. Vbi enim principium ignotum ponitur, finis autem, & media ex ignoto tracta inuicem connectuntur, inde collectam assertionem quonam pacto scientiam nominabimus?

De ratione præmij, & pœnæ.

LIBER V.

1 B Onos nõ solum metu pœnarum, verùm præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Duo præcipuè sunt, quæ ex his verbis solent deduci. Primum est, ex eo iurisprudentiam reliquis omnibus facultatibus longè præcellere,

cellere, quòd eò tendat, ut boni omnes efficiamur. Quanto igitur iustitia reliquis virtutibus sit nobilior, tantò & ius cæteris artibus præstare. Qua de re Fortunij in tractatu de ultimo fine, oratio, nihil prætereuntis eorum, quæ pro hac causa dici possunt, me mouet, ne diutiùs de ipsa disputè. Illa verò deridenda contentio est, quæ plerosq; leguleiorum angit, atq; fatigat, sint ne Iurisperiti Medicis præferendi. Ac sanè Medicina professores legum doctoribus esse præferendos, probari posse videbatur hoc pacto. Res omnes quæ fiunt, quæ futura, quæq; factæ sunt, vel natura, vel fortuna, vel arte fieri, inter philosophos constat. Maxima verò quæq; atq; pulcherrima à natura, & fortuna fiunt. Ars autè, accepta à natura magnorum, primorumque operum generatione, fingit, efficitque minora omnia, quæ artificiosa ab omnibus appellantur. Si quem verò natura & fortuna nomina perturbant, sciat naturam, ut supra in definitione iustitiæ docuimus, esse summi Dei voluntatem, qua omnia principia, ac simplices qualitates, quæque ex eis sunt, creata esse, omnes credimus, & fateamur. Fortunam verò obscuram esse causam, docent Plato, Seneca, atque Diuus Augustinus lib. 1.

lib. 1. retracta. cap. 1. Et Cicero in Topicis ad Trebatium. Cum nihil, inquit, sine causa fiat, hoc ipsum est fortuna, euentus, obscura causa, qua latenter efficitur. Quam etiam sententiam lib. 1. Academicarum quaestionum confirmavit. Quod si sic est, eas artes excellere, praehabendasque ceteris esse, quae potius naturam imitantur, magisque vim suam cum natura communicant, negari non potest. Sed civilis disciplina, parua quadam parte cum natura, magna vero cum arte concurrit, ergo iuris prudentia, vel agricultura, non solum medicina est praefenda. Verum non est cur de re tam aperta, plura verba faciamus. Ex ijs quae supra tradidimus satis constat, iustitiam, temperantiam, aequitatem, bonitatem, reliquasque virtutes, homini multo magis secundum naturam esse, quam vires, diuitias, pulchritudinem, sanitatem, et reliqua quae vulgo putantur bona. Quod si quis mores instruere, et civitatis et singulorum actus componere, moderari cupiditatibus, cohibere appetitus, multo excellentioris negaret esse facultatis, quam de corruptis humoribus, et atrabile agere, is vel ab ipsis medicis desperatus, ad agnatos et gentiles esset deducendus. Illud magis ad rem, finem iuris prudentiae esse

esse, bonos efficere ciues, media autem, siue instrumenta, quibus efficitur, premia esse, et poenas: ut dicitur in l. et virtutem. C. de stat. et imaginibus, et in Clem. cupientes, de poenis, et optimè docet Arist. lib. 3. Ethic. c. 1. et. 5. Et author est Cicer. lib. unico epistolarum ad Brutum. Solum, qui et sapientissimus fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem, Rempublicam duabus rebus contineri dixit, premio, et poena, de quibus nobis pauca dicenda sunt: illud vero sciendum, scilicet potissimum harum partium esse, praemijs afficere bonos, quoniam hanc partem iustitia per se intendit. Punit autem malos ad finem solummodo praemiationis bonorum, scilicet, ut boni tutius possint vivere, timore malorum sublato, ut Plato lib. 9. de legibus docet, dicens, legumlatoris finem esse, quacumque ratione fiat, ciues bonos, beatosque efficere: punire autem malos, necessitatem potius esse, quam voluntatem. Aptè etiam, hoc idem nos docet Ioann. 22. in extravagan. titul. de poenis, dum ait, Dierum crescente malitia videmus mundum in deteriora iugiter prolabi: sic hominum mentes assueta depravate nequitia, malis passim cumulum superaddi, ut & boni qui alias odirent delinquere virtutis amore, interdum

terdum cum peruersis admixti, concurrere cum illis in illicitis habeant, & in apertā malitiam profilire. Est enim compescenda malorum audacia, vt saltem pœnæ formidine retrahantur à noxijs: sicq; boni sectando virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis

5 perire. *Quæ quidem vniuersa paulò nos concidamus minutius. Sunt quæ à nobis fieri possunt officia duplici consideranda modo: aut enim sunt pura virtutis opera, aut ex eo egregia nominantur, quod in Reipu. vel alicuius commodum facta fuerint.*

6 *Quod ad primum attinet, quisquis siue à principio summi boni conceperit imaginem, quam sequatur, vltroq; appetat, siue forte intelligens se in deligendo genere vitæ errasse, accensus repente amore melioris propositi, faciendam morum, institutionumq; mutationem censeat, virtutē propter seipsam amplexatur: non vlllo premio, utilitate, aut emolumento ductus, quod ab hominibus dari possit. Expectans namq; res, & fructuosas, & sempiternas, contentus degit rebus suis, nulla re egēs, nihil sibi deesse sentiens, nihil requirens ad beatè vivēdum. Quod tamen, non, ita accipiendum est, quasi nullum bonis, etiam in hac vita propositum*

præ-

præmium sit, virtutis atque iustitiæ. Illud potius sciendum, vindicare quoque sibi hanc curam Deum, vt sacra mandata custodientibus, calum demittat tempestivas pluias, terraque fundat prouentus frugum omnis generis (vt in Deuter. c. 11. & Leuit. c. 26. promittitur) ne mentis cogitationes, & manuum conatus impediatur, quo minus gnauiter se gerant in serijs studijs: frui prætereà bonos viros interioribus iustitiæ præmijs, quibus cogitari in vita nihil possit utilius, aut honestius: ea sunt excelsitas animi primum, qua quicquid humanum, corruptibileq; est contemnunt: in corporeas, intelligibilesq; res, semotis sensibus, vt ministris brutæ partis animæ, mente verò & ratione in consilium adhibitis, considerantes. Deinde gaudiū replens tranquillitate, ac pace totā animam, letam innocentibus actionibus cum virtute coniunctis, etiam si nulla voluptas accedat. Postremò Dei contemplatio: vbi enim purgatus quisquæ affectibus, tota anima, tota mente, totis viribus Deū quarit, miseratur sine dubio misericors pater, neq; negat sui contēplandi copiā, quantum humana natura capax est diuini mysterij, videlicet, vt agnoscat, præ omnibus Deū verū, cali, mundiq;

opi-

opificem, rerum omnium conditorem, hominū parentem benignissimum, & quem misit Iesum Christum diligendum, verendum, & obseruandum esse. Quem optimum, ac sanctissimum statum, ubi semel animus est consecutus, quasi gubernator in puppi ad clauum sedeat, cursum rerum humanarum modestè, prudenterq; moderatur: impensè cuiuspiens dissolui tandem, & esse cū Christo. Ex quibus illud iam apparet, non esse cur de hac re Platonem & Arist. pugnare inuicem suspicemur. Dū enim Arist. in Metaph. & in Ethic. ait, posse nos ad felicitatē speculatiuam in hac vita peruenire, licet in. 3. de anima, nullam de hac re firmarit sententiam, intelligendum est Arist. in hac quæstione nullum de vita aterna, fruitioneque Dei, verbum fecisse. Sed dum vitam speculatiuam, felicitatem appellat, reliqua omnia, quæ in vita sunt, quæq; fieri possunt, considerat: quæ omnia si vita speculatiua comparentur, vilescunt omnino, nec assis facienda sunt. Plato verò in lib. de Repu. & lib. 10. de legib. & in Philebo, summum bonum esse profitetur, primam rerum omnium causam, purissimum bonitatis & pulchritudinis fontem contemplari. Quod in Phadone fieri non posse ait, in hac
vita,

vita, ex eo quòd vera gaudia, immortales scientia & bonitatis diuitia nobis sint in cælo recondita. Quibus ut idem ait in Symposio, post mortē, intellectus contemplatione, fruitioneq; voluntatis suauissimè utemur. Quam rem dum Plato considerat, & rimatur, nihil mirum si voluptates omnes etiam sapientia & speculationis, quæ in hac vita homini possunt cōtingere, spernat prorsus, & vilipendat. Altera nostrarum operationum pars, quæ ex eo officij nomen sortita est, quòd vel in reipub. vel in alicuius priuati commodum et utilitatem cedat, plerunq; non tam sua vi, quam emolumento captans aliquo, nos trahit ad sese. Unde necesse est diuersa proponi premia, quibus inescati iuuenes, qui bellicam laudē sequuntur, strenuè pugnent fortiterq; hostem, nullo metu adorianur: qui vero togati rempub. sunt gubernaturi, à sapientia & literarum studio, nullo tempore aut otio abstrahantur, voluptate auocentur, aut somno retardentur. Quæ in re personæ facientis, beneficij vis, premij genus, & publicæ facultates, quid cuiq; debeat, quidq; sit illi tribuendum, ostendunt. De quibus nulla potest tradi regula certa, cum euentu & occasione, nō perpetuo ordine iudicentur: quòd ve

rò res patitur optimè à iurisconsultis digestū est. Nec desunt apud eos innumera pramiorum genera bonis & in pace, & in bello viris proposita, quæ non una aut altera lege, sed innumeris ferè titulis complectuntur lib. 10. C. & alibi de statuis & imaginib. de captiuis & postlimi. reuers. de re militari. De castrensi pecul. de privileg. veteranorum, de decurionibus, de muneribus & honoribus, de iure immunitatis, quæ omnia tempore & circumstantijs metienda sunt, de quibus Cicero lib. 2 de inuentione, in hanc ferme sententiam scripsit. Ratio pramij distribuitur in beneficia, hominem, pramij genus, & facultates. Beneficia autem queruntur ex sua vi, magna sint, an parua, facilia, an difficilia, singularia, an vulgaria. Ex tēpore, si cum indigeremus, cum ceteri nō possent: cum spes deseruisset, collata sunt. Ex animo, si non sui commodi causa sed ut opitularetur, fecit. Ex causa, si nō fortuna sed industria beneficium collatum est, vel si industria fortuna obtulerit. In homine verò cōsideratur quibus rationibus vixerit, quid sumptus aut laboris insumpserit, si quid aliquando tale fecerit, nisi alieni laboris, aut diuinae bonitatis pramium sibi postulet, num aliquando ipse talem ob causam pramium

pramium alicui negauerit, satisne pro eo quod fecerit honos habitus sit, an necesse fuerit ei facere quod fecit, an sit id factum, quod ni fecisset, penam mereretur, non quia fecit pramium: num ante tempus pramium petat, num quo supplicium vitet, pramium postulet. In pramij genere attenditur quid, quantum, & quamobrem postuletur, quo & quāto quæq; res pramio digna sit, quibus hominibus, et quibus de rebus talis honos solitus sit haberi, ne is honos nimis peruagetur. Facultates postremo, cum aliquod pramium pecuniarium postulatur, inquirenda, videndumq; copia sit agri, vectigalium, pecunie, an penuria. Quam eandem rationem facile nos ad distributionem penarū transferre possemus. Quauis enim ferè omnibus, quæ cōmitti possunt criminibus, legibus statuta sit certa pena, sunt tamen quamplurima causa, quibus aut differri, aut minui, aut etiā tolli possit omnino. Quapropter rectè scriptum est in. l. hodie. ff. de penis, penas hodie esse arbitrarías, non quòd ad libitū possit iudex nocentes homines impunitos relinquere, sed quòd ex causis quæ incidunt, minuere, augere ue possit à lege penam impositam, ut probatur in. l. & si seuerior. C. de his qui not. in fam. & in. l. quid

H 2 ergò

ergo §. p̄na grauior. ff. eo. tit. §. in. l. 1. C. de deser-
torib. libr. 12. Quod tamen, scilicet crimini obno-
xijs parcere, proprium principis munus est in iudi-
cjs. Namq̄, probari vix potest hoc genus: siquidē
concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum
vindex esse debet, ut ignoscat impetrare. Cum iu-
dicem clementiorem lege esse non oporteat, auth.
de iudicibus. §. oportet, cumq̄ sit minister legis, §.
iuret omnia secundum legem agere, auth. hodie. C.
de iudic. non debet legem à qua ius & imperium
habet, in aliquo violare. l. 1. ff. à quib. appell. nō lic.
§. c. si omnia. 6. q. 1. l. 2. ff. de exhib. reis. l. qui Ro-
ma. ff. de verb. oblig. §. l. 4. §. si quis. ff. de re iudic.
Quæ tamen ita accipienda sunt, nisi subsit, ut mo-
do dicebam, causa, qua vel consulto principe, vel si
minus id necesse est, suo arbitrio, iudex legis seue-
ritatem temperet. De causis postea dicemus: illud
II sciendum, in iudice requiri ut appareat causa, ne-
que credi è republica fecisse illum, nisi indulgentia
ratione manifestè probata. In principe vero an le-
gitima presumatur causa, quam fieri potest bre-
uiter, videamus. Ac sanè principis voluntatē iu-
stam esse causam, ut vel iura soluantur, ait glo. in
l. relegati, quam sequitur Bart. ff. de p̄n. Bald. in
l. rescripta

l. rescripta Cinus, §. alij. C. de precib. imperato. of-
ferendis. Abb. in. c. cum olim, §. in. c. in causis de re
iudica. Dominic. in. c. grandi de supplend. neglig.
prala. in. 6. §. Anto. in. c. cū inter de renūti. Quin
Bald. in. c. cum super de caus. poss. asserit, Papam
atq̄ principem ex certa scientia, supra ius, §. ex-
tra ius, §. contra ius omnia posse. Ex quib. illa se-
quuntur: posse principes ad libitū ius civile tollere,
ut nonnulli tradunt. dd. in. c. proposuit de concessi
praben. §. in clem. 1. de immunita eccles. Simili-
terq̄, posse legitimare spurium in legitima prolis præ-
iudicium Bald. scripsit in. c. dño guerrā, in tit. hic
finitur lex Corradi, in v̄sibus feud. Imo etiā si iam
filijs legitimis sit ius quæsitum post mortem patris,
iamq̄ hereditatem adierint, adhuc in eorum præ-
iudicium spurium legitimari posse, Dinus cōsilio 22.
§. Paul. de Castro cōs. 225. §. Alex. de Imol. cōs.
2. col. 6. volum. 1. putauerunt. Ex eo nempe quod ut
Felin. ait in. c. qua in ecclesiarum de constitut. sem-
per iusta causa presumitur in principe, etiā si non
appareat. Atque hæc omnia non ita prateruolant
illi, sed adeo dilatant, ut non mediocrem curam
adhibeant, et diligentia: qua ego profecto, parcius
ut dicam, dubia, incertaq̄, esse, mihi iam dudū per-
H 3 suasi.

suasi. Quāvis enim princeps legibus solutus sit, tamen ut docet Casus in l. princeps. ff. de legibus, non est absolutus à iustitia, qua cuiq; tribuit, quod suū est: imo tantò plus ei hæc est virtus necessaria, quā tò altior est sua eminentia celsitudo. Quod verò quidam in l. quominus. ff. de flumi. aiunt, hæc communem sententiam, scilicet in principe præsumi causam, procedere in his qua sunt iuris positivi, in quibus ad libitum potest tollere, vel non tollere: in illis verò qua sunt iuris naturalis, aut gentium, quibus nuda principis voluntate derogari non potest, præsumptam causam non sufficere, sed requiri, quòd sit vera & iusta, & expressa: adiunguntq; hæc opinionem tenere Abbatem in d. c. qua in ecclesiarū, Bald. in c. 1. de natura feud. & in l. si testamentū C. de Testamen. & Roman. conf. 352. utrunque recte dissolvitur. Nā primū Abb. potius firmat contrarium: deinde quamprose rationē allegant, non arbitror in distincte verā, cum doctē Panormitanus in d. cap. qua in ecclesiarū & in c. de multa scribat, ubi non subest legitima causa solvendi ius positivū, peccare principem illud violando: cum meminisse eū oporteret datam ei esse potestatem pascendi gregem, non turbandi, seu molestandi. Et ius quoq; prin-

principē iura violare dicit dispensando, in l. qua in provincia. ff. de ritu. nup. Quo fit, ut ad dispensationem legitimā, requirat causam insignis text. in l. relegati. ff. de pan. quodq; de summorum principū potestate dicitur, cum grano salis, hoc est, clauē discretionis, id est, rationis, non errante, intelligit glo. in c. quāta de iure. iur. quā ibi canonista cōmendat: præcipue Bald. dicens verbum illud fixè tenendum cordi, rectè ut ego censeo. Nā dicere, posse ius positivū principē nulla causa solvere, idē est, ac si nullo iure, nulla ratione diceretur. Quidquā verò nulla ratione agere, vix est pecudis, nedū hominis. Deinde iā satis cōstat, ius naturale vel gentiū absq; causa, nec à principe mutari posse. l. quaris. ff. de nata. res. & in l. qui solidū. §. 1. ff. de leg. 2. & per Imol. in c. venientes de fil. præsbitero, & in c. unico de atate et qualita. et in l. honorū. C. qui admit. ergo cū ius positivum & civile nō sit omnino diuersum, nec in totū recedat à iure naturali vel gentiū. l. ius civile ff. de iust. et iur. sed ab eodē fonte, quo et ius naturale derivetur (iura enim per ora principū diuinitus promulgari in decretis patres tradiderunt) paulò minus principes, non subsistente cōtrariarōe, ad observationē iuris positivi, quā naturalis, aut gentiū

tenentur. Vnde illud euenit, ut factum in aliquo com-
 promisso, ut secundum ius arbitretur, intelligatur se-
 cundum ius posituum, non gentium, naturalium. Iu-
 dicem quoque oportere secundum aequitatem iuris posi-
 tui procedere, non secundum aequitatem informatam
 à iure naturali, tradidere recentiores in. c. ex parte
 2. de offi. deleg. Soci. in cons. 85. incipienti, viso cō-
 promisso. 1. part. Et Card. cons. 144. Obligationem
 etiā civilem, per se solā, maioris esse efficaciam, quā na-
 turalem solam videmus. Ex naturali namque non da-
 tur actio. l. iuris gentium. S. igitur nuda ff. de Pactis
 bene autem ex civili, ut ex obligatione literarum
 post biennium. Similiterque possessio naturalis, sine
 civili, non sufficit ad praescribendum, bene autem
 civilis, Bart. in. l. 1. ff. de acqui. posse. Vnde etiā in
 foro conscientiae, ex simplici promissione non roborata
 fidei interpositione, vel iuramento, non oritur obli-
 gatio, cuius impletio sit necessaria ad salutem, cap.
 literarum, de voto, Et tenet Richardus de media
 villa, in. 4. senten. distin. 34. q. 3. Et Felin. in. c. 1. de
 pact. Quorum omnium est ratio (ut dici solet) fun-
 damentalis, quia cum ius posituum non sit aliud, nisi
 specificatio naturalis rectitudinis expressiua, ma-
 gis congruit, Et magis adaptatur actibus hominum,
 tanquam

tanquam magis speciale. Ut enim Ulpia. lib. 1. institu-
 ait, ius civile est quod neque in totum à naturali
 vel gentium recedit, neque per omnia ei feruit.
 Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri
 communi, proprium, id est civile, efficitur. Qua-
 re principem ferè ita religiosum esse decet erga ius
 civile, quam erga ius naturale vel gentium. Intellego
 autem teneri eum ad obseruantiam iuris positui, non
 vinculo civili Et superioritatis, sicut obligamur in-
 feriores. Siue enim ipse constituerit, se ipsum sibi
 non potest obligare, siue ab altero principe lata sit
 lex, par in parem non habet imperium. Sed dicimus
 teneri obseruare ius civile, eodem vinculo, quo obli-
 gatur, Et constringitur à iure naturali vel gentium.
 Ex eo scilicet quod ab eodem fonte, quo Et prima
 iura deriuatur, rationeque Et aequitate stabilatur:
 quibus manentibus, nulla est principum copia, quidquam
 inuita ratione mutandi. Nec obstat quod à Theo-
 dosio Et Valentiniano in. l. rescripta. C. de precibus
 imp. offeren. dicitur, posse principem penas remitte-
 re delinquentibus: nec additur, cum, vel sine cau-
 sa, imo intelligunt ibi communiter doctores, posse,
 nulla existente occasione: asserentes illam esse exce-
 ptionem regulae superioris, qua cauebatur ne iura
 contraria

contraria impetrarētur, quòd intelligitur sine causa. Ego verò potius crederem etiam post commissum delictū, quanuis pana sit corporalis, nec veniat applicanda parti, non expedire sine legitima ratione illam totam remitti. Primum quia quanuis singulae panae, & earum quantitas sit iuris civilis, delicta tamen omnino impunita relinqui, iuri naturali aduersatur. Quinimo quod ad ipsam quantitatem punitionis pertinet: quandoquidē minister iustitiæ princeps dicitur, seruare æqualitatē inter ciues debet. Vnde ut omnibus remittere non esset clementia, ita & aliquibus nulla ratione, satis iustum non foret, quandoquidem iustitiæ virtus personam nō accipit, sed æqualitatem, paritatemq; inter omnes suo iure seruat. Rectè igitur illustrissime praeses, vosq; illustres consiliarij camerae, & senatores, humanitate seueritatem, seueritateq; humanitatem temperatis. Vt enim optimè Cicero ad Brutum, inquit, salutaris seueritas vincit inanem speciem clementiæ: meminiquē ipse cum promultis qui sese mihi committebant, parentem precarer meū (fuit enim ille camera consiliarius Caroli quinti Romanorū Imperatoris) ab eo saepe me auduisse, facilitatem veniæ incentiuum esse delinquendi: ideoq;

ideoq; principes rarò debere similia, nisi ex honesta causa concedere. Vnde credo de hac re in consideranter loquutum Ias. in d. l. quominus, neq; enim Alber. Romanusq; loquuntur in ea specie de qua ipse intelligit, sed potius iustissimè, & rationabiliter aiunt, principe infringente contractum initum cum subdito, quo ambo iure gentium & naturali tenebatur, causam nisi expressam nō praesumi. Absurdum nanq; esset, posse illum nulla ratione, contracta secum firmata rescindere, contradicente. l. Caesar. ff. de publica & c. i. de probatio. Atq; hac quidem ita se habent, nunc causas videamus, quibus existētibus, pana à iure statuta, ab aequitate, ipso etiā iure nō repugnāte, augetur, protrahitur, minuiturue, aliquādo etiā omnino cōdonatur. Scripsit And. Tiraquel. librum de panis, in quo copiosa, & multa oratione, sexaginta quatuor causas enumerat, quibus pana legum, ac consuetudinum, statutorumq; temperanda sunt, aut etiam remittēda. Mihi commodius videtur, non singula persequi quae sunt infinita, sed fontes unde illa omnia fluxerunt, quos ille non aperuit, atque etiam itinera ipsa demonstrare: ea sunt huiusmodi. Iurisdicialis generis in quo aequi & iniqui natura, 13
premiij

premiū, aut pena ratio continetur, duae sunt partes:
 quarum alteram absolutam, alteram assumptiuā
 nominamus. Quae inter se eo differunt, quod abso-
 luta non ut negotialis implicite, et abscondite, sed
 patentius et expeditius, recti et non recti quaestione
 continet. Item in absoluta quid iuris sit quaritur:
 in negotiali, quid iuris esse debeat. Postremo in ab-
 soluta quod legibus statutum est ius, notumque om-
 nibus quaritur: in assumptiuā autem seu negotia-
 li qualitate, ius efficitur sententia iudicis. De abso-
 luta non est nostri muneris agere: patet enim quae
 cuique delicto statuta sit pena, multisque id titulis co-
 14 tinetur. Id sumimus inuestigandum, quibus cau-
 sis ius id certum mutetur, quod ad assumptiuam
 pertinet: cuius partes sunt quatuor, comparatio, re-
 latio criminis, remotio criminis, concessio, in quibus
 siue facta puniatur, siue dicta, siue scripta siue co-
 silia, ex causa, persona, loco, tempore, qualitate, qua-
 ntitate, euentu sumendum ius esse, Claudius Satur-
 ninus iurisperitus in l. 16. ff. de penis, tam bene
 docuit, ut nihil supra. Nos quod institueramus
 15 prosequamur. Comparatio est cum aliquod factum
 quod per se ipsum non sit probandum, ex eo cuius
 id causa factum est, defenditur. Cuius generis sunt
 plurima

plurima apud iurisperitos exempla, ex quibus
 pauca quadam proferemus. Si vel reus nimis sit gra-
 tiosus in ciuitate, vel iudex non tanta authorita-
 tis, ut delictum possit imposita a lege animaduer-
 sione punire, melius esse mitiorem penam impone-
 re, quam delinquentem impunitum relinquere, in
 c. quidam cum bonorum, et in c. si ecclesia 23. q. 4.
 disponitur. Quae in specie patet, iudicationem compa-
 ratiuam esse, cum pena a lege statuta reus puniri
 non posset, satiusne fuerit reum impunitum relin-
 qui, an leuiori pena plecti. Similiter in c. conuenien-
 tibus. l. q. 7. et in c. ultim. de duortijs, et in c. vl-
 tim. qui filij sint leg. si ea sit conditio peccantis, ut eo
 dimisso alij ad fidem, vel ad melioris vite frugem
 facilius trahantur: mitigandam et si necesse sit,
 relaxandam penam, dicitur, constatque iudicationem
 comparatiuam esse. Nec aliter in l. ad bestias. ff. de
 pan. si communem doctorum sententiam sequamur, 16
 iudicatio est comparatiua. Conferuntur enim inter
 se delictum, propter quod supplicium ultimum me-
 rebatur reus, et ut ab eis dicitur, excellentia in ar-
 te, qua reipub. deseruit. Quia vero huic rei subtili-
 ter ab aliquibus contradicitur, libet parumper cir-
 ca intellectum illius legis versari, cuius sunt verba:

Ad

Ad bestias damnatos fauore populi præses dimittere non debet, sed si eius roboris, vel artificij sint, vt dignè populo Romano exhiberi possint, principem consulere debet. Interpretes dum, exhiberi, id est, per gratiã relaxari exponunt, ad damnatos verbum referendo, annotandum existimant. Excellenti in arte decapitando parcendum esse, si valde sit utilis reipub. And. vero Alcia. c. 28. 2. parergon. Et Iuan. Cora. de iure civili in artem redigendo. 4. parte, cap. 18. dum hanc legem nouiter ac subtiliter intelligunt, à Doctoribus non verè expositam affirmant, nihil hic de minori pana imponenda agi asseuerando. Dũq; sequuntur communem verbi, exhibendi, interpretationẽ, scilicet palã facere, vt in. l. 2. ff. ad exhibẽd. ppriè extra secretũ habere, vt apud Vlp. in. l. quod Et lex Favia. ff. de lib. homi. exhib. præsidiibus onus imponunt, vt si damnatos viderint, eius esse roboris Et artificij, vt in spectaculis, quæ Roma fiunt, oculos spectatorum morari possint, principem consulant, an Romam velit damnatos mitti, vt bestijs subijciatur, in populi Romani muneribus. Mihi communis illa interpretatio non displicet, Et ad hoc responsum pertinere censeo, nõ tamen eo modo quo

quo glossographi, exponere namque, exhiberi, id est, per gratiam relaxari, nec rectè fieri puto, nec id antiquorum authorum auctoritate nititur, meritoq; credo in hac re illos ab Alcia. reprehensos, qui eadem hac qua nunc acrius accusat, alibi idem ipse defendit lib. 2. de verb. sig. col. 15. dicens, si ex delicto ad bestias damnatus, propter singularẽ artificij scientiã, ad preces populi ex indulgentia principis poterit veniam consequi. Quã sententiã nullo alio iure probat, nulla alia ratione cõfirmat, nisi auctoritate legis ad bestias. ff. de pan. Neque memoret, dånatos à proconsulibus Romã solere mitti vt bestijs subijcerentur, vt apparet ex Cicerone in. L. Pisonẽ, prope finẽ, dum ait: quod populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos, sociosq; misisti. Ego enim hoc loco verbũ, exhiberi, nõ ad dånatos, sed ad robur potius Et artificium refero. Quod non solum ad industriã cõgrediendi cũ belluis extenditur, sed Et solertiã ad quamcũq; rem peragendam ac modũ cõprehẽdit, vt ibi omne artificium per exercitiũ suscipit incrementũ. l. legatis. S. ornatricibus. ff. de leg. 3. Quin et Iudi literarij magister artificis venit appellatione. duo societate coierunt inquit Pau. in. l. duo. ff. p socio. vt gramaticã docerẽt, et quod

quod ex eo artificio quæstus fecissent, cōmu-
ne eorū esset. Est igitur huius legis mēs & sentē-
tia, ad bestias damnatos populo intercedēte non di-
mittēdos, sed si eius roboris vel artificij sunt, dam-
nati inquam, ut dignè possint, scilicet robur & ar-
tificium eorū Romanis exhiberi, princeps est con-
sulendus: non ut ad tam longum supplicium trahā-
tur, sed potius ut insigni robore atq; artificio, Po-
pulo Romano inserviāt. Simile est quod Ulpianus
ait in l. sed & reprobari. §. amplius & illud, versic.
valde tamen, quod & ibi notat Bald. ff. de excus-
sa. tut. eum qui in propria patriadocet, aut medica-
tur, si ex numero sit, à tutela excusari & sic à cate-
ris muneribus. Quem text. ad hanc sententiā com-
mendat Fortunius in l. 1. col. 17. num. 49. ff. de ius.
& iur. Vulgaris est Paridis Putei de syndicato.
17 §. an si iudex, sententia, ultimo supplicio damnatū
meretrici petenti eum in virum, concedi oportere,
ni de iure, saltē de cōsuetudine, secūdum Iacob de
vellouiso in pract. crimi. tit. de lenonibus, et Guliel-
mi Benedicti in repetitione. c. Raynutius in par-
te, qui cum alia matrimonio contrahens, nume.
49. & in part. mortuo testatore, in primo, nu. 269.
Chassanaus, in cōsuetudi. Burgund. rub. 1. §. 5. &
Didac.

Didac. à Couarruias in epit. lib. 4. decretalium
2. parte principali. c. 3. §. 4. num. 17. Suffragantur
etiā quæ tradit Imol. in. c. quæris de etate & qual.
ubi cum deberent ab ecclesia deijci nōnulli clerici,
propter crimen occultum, vel manifestū secundū
Antonium: si tamen aliās fuerint valde vtilēs eccle-
sia, ut quia diuites, potentes, vel artificiosi secun-
dū Abbatē, Hostiensem, & Ioan. Andr. dispensatur
cum eis, ut beneficium obtinere possint: quod notat
ibi Hostiensis Abb. Ioan. Andr. Ant. & cōmu-
niter. dd. & ne morer, lege Regia, tit. 32. de los per-
dones. p. 7. apertè præd. sententia comprobata est,
ut ibi Gregor. Lopez animaduertit. Oportet ta-
mē quod sit valde doctus & peritus, ut in. d. l. sed
& reprobari, dicitur: vel quod eius generis artifi-
ce egeat ciuitas, ut notatur in. d. c. quæris. Neq;
licet sape peccati veniam concedere: peccati enim
incētiuum esset indulgentia facilitas. Quādo au-
tem dicatur adesse reipub. vtilitas, est glo. ut dici
solet, magistra, in summa, in parte quaritur. 74.
distin. An verò damnatus talis sit, cuius robur &
artificium possint dignè populo Romano exhiberi,
videtur hoc relinquere arbitrio iudicis consulto prin-
cipe. Nam cū in hac lege de damnatis iam loqua-

tur iurisconsultus, sententiam diffinitiuā solum
 principem reuocare posse, probatur in. l. i. §. si quis
 ultro ff. de quaestio. Si igitur summa huius partis
 cōclusio, in relaxandis, differēdisue, seu augēdis à
 iudice, vel etiam à principe panis, cōparari necesse
 esse inter se, personam rei, qualitatem negotij, atq;
 absolutionis, vel condemnationis causam, ut secū
 dum rei gesta adiūcta, vel leui iure, vel dura seue-
 18 ritate utatur. Sequitur relatio criminis, cum reus
 id quod arguitur, confessus, alterius se inductum
 peccato, iure fecisse demonstrat: sunt huius sta-
 tus multa in legibus diuinis, humanisq; exempla.
 Ex quibus sicut in comparatione fecimus, pauca
 proferemus, ut appareat quanta sit relationis
 vis, non solum ad leniendam penam, sed omnino
 abolendam culpam. Petrus dum Ananiam cum
 Sapphira uxore sua mentientes morti increpando
 tradidit. Vt. c. 5. actū legitur, & 23. q. 8. cap. Pe-
 trus, non ne crimen in mortuos transtulit? Ecce
 inquit, scriptura. Nu. c. 25. Vnus de filijs Israel
 intrauit ad scortū Madianitidē, vidente Moy-
 se, & omni turba filiorum Israel, qui flebant
 ante fores tabernaculi: quod cū vidisset Phi-
 nees filius Eleazari, filij Aarō sacerdotis, sur-
 rexit

rexit de medio multitudinis, & arrepto pu-
 gione, ingressus est post virum Israelitem in
 lupanar, & perfodit ambos simul, virum scili-
 cet, & mulierē in locis genitalibus. *Credimus
 ne peccasse Phineem? an translatione criminis in
 peccatum Zambri, ita enim dicebatur qui occisus
 est, liberari?* dixitq; , inquit, dominus ad Moy-
 sem, Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacer-
 dotis, auertit iram meam à filijs Israel, quia ze-
 lomeo commotus est contra eos: idcirco lo-
 quere ad eum, ecce do ei pacem fœderis mei,
 & erit tam ipsi, quā femini eius pactum sacer-
 dotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo
 suo, & expiauit scelus filiorū Israel. *Nō sunt
 igitur homicidæ censendi, qui non propriā quaren-
 tes vindictam, sed ecclesia diuino Zelo armantur,
 ut in. c. excommunicatorū. 23. q. 5. dicitur, & Hie-
 ronymus ad Riparium, ut in. c. legi. 23. q. 8. refer-
 tur. legi, ait, Syromasten Phinees, autoritatē
 Helix, zelum Simonis Chananaei, Petri feue-
 ritatē, Ananiā & Sapphirā trucidatis, Pauliq;
 cōstātam, qui Elymā magū vijs dñi resistē-
 tē, æterna cecitate damnauit. Non est igitur
 crudelitas, crimina pro deo punire, sed pietas.*

Ex quibus omnibus rectè illud sequitur, quod eodem proposito docet *Diuus Chrysostomus super Math.* ut refertur in. c. occidit. 23. q. 8. non solum respicienda opera, sed tempus, causam, voluntatem, personarum quoque differentiam, & quantacumque alia ipsis operibus acciderint, diligentissime inquirenda, ut statuta pena pro qualitate rerum ¹⁹ crescat vel minuat. Remotio criminis est, cum eius intentio facti, quod ab aduersario infertur in alium, aut in aliud dimouetur: id fit bipartito, nam tum causa, tum res ipsa remouetur. Causa remotionis passim sese offerunt in iure exempla. Neque est necesse uno aut altero ostendere, quantum remotio causa, non in criminalibus tantum, sed et in contractibus possit, cum ab hoc fonte bona pars legum effluxerit. De eo per quem factum erit, de Pactis, de conditionibus ob causam, de obligationibus et actionibus. Remotio criminis in rem fit: cum id, quod datur crimini, negat, neque ad se, neque ad officium suum, reus pertinuisse, nec si quod in eo sit delictum, sibi attribui conuenire. Differt autem hoc genus à superiore, quod in illo oportuisse illud fieri, de quo accusatur, liquido fatetur reus, sed alicui rei, aut homini causam tribuit, quae parata voluntati

voluntati sua fuerint impedimento. In hoc autem nihil necesse est, in quenquam culpam transferre, sed ostendere rem illam nihil ad se pertinuisse. Huc pertinet multa, quae iure civili rectè constituta sunt: quale est legum ministros non debere legem examinare, rectè ne, an perperam à rege sit lata, sed illam, quando ita superiori placet, exequi. Similiterque lictores, quanuis iniqua sententia damnatos, & virgis, & securi cadant, nullam iniuriam facere, neque penam mereri: iudicis munus esse, non eorum, videre meritò ne sumatur vindicta. De timore praetera potentia, qui à principibus, à magistratibus, ab omnibus denique superioribus, incutitur subditis, deque metu, ut appellant, reuerentiali, qui libertis à patrono, filiis à parentibus, uxoribus à maritis proponitur, multa multis in locis sunt à doctoribus tradita, quae ad remotionem criminis omnia ²⁰ pertinent. Concessio est per quam non factum ipsum, inficiatur reus, sed ut ignoscatur ei petit: haec diuiditur in purgationem & deprecationem. Purgatio est per quam eius qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur: cuius partes sunt imprudètia, casus, necessitudo. Imprudètia est, cum scisse aliquid, qui arguitur negatur, ut cum *Abimalech*

rex Gerara, mulierem nuptam ab viro abstulisse, accusatus, purgatione depellit intentionē, inquires, ipse dixit mihi, soror mea est, & ipsa ait frater me⁹ est. In simplicitate cordis mei, & mūditiā manuū mearum feci hoc. Casus est cū rem aliquam inopinatam demonstramus voluntati obsti-
tisse. Vt si Tobias iunior parentibus moram increpantibus se excussit, recenseat q₃, quæ sibi itinere euenerint, qualiter ab immani pisce sit liberatus, demoniumq₂. Asmodæum compescuerit, qui septē viros Sara filia Raguelis occiderat: denique nuptias, prece q₃ soceri voluntati obsti-
tisse, quominus ante venerit, diceret. Necessitudo autem infertur cū vi quadā reus, id quod fecerit, fecisse se ait: ut si accusati Mathathias, Iudasque Machabeus, quod sabbatum violent, asserant se necessitate co-
actos bellum iniisse. Similiterq₂ David necessitate dicat panes propositionis sibi, ac pueris suis ab Achimelech sumpsisse, quos non licebat ei edere, neque ijs qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus: quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum, ut in. c. quod non de regul. iur. & in. c. si nulla 23. quæst. 8. Horum autem trium, scilicet im-
prudentiæ, necessitatis & casus, per similes tracta-
tio

21
tio est. Quare de imprudentia solum, & qui igno-
rantia excusentur videamus: ob quam indulgeri
cernimus ebrietati in. l. omne delictum. §. per vi-
num. ff. de re militari, & in. c. sanè. & in. c. inebria-
uerūt. 15. quæst. 2. insania, ac leuitati in. l. 1. C. si quis
imp. maledix. furori, in. l. congruit, & in. l. diuus
Marcus. ff. de offic. Præs. simplicitati, in. c. scrip-
tura de consecra. dist. 2. rusticitati, in. l. si quis id
quod. ff. de iu. om. iud. & in. l. 2. ff. de in ius. voc. iu-
uentui, in. l. auxilium. §. 2. ff. de qq. c. 1. de delict.
puer. c. ultimo de senten. excommunic. c. 2. de
apost. Vnde à comico dicitur, iniuriam adolescen-
tium accipiendam, & misitandam esse, & Sene-
ca de ira, à puero, vel à femina inferri posse negat
iniuriam. Quarum dispositionum ea potissimum
est ratio, quod prædicti impulsione, non ratiocina-
tione peccasse censeantur. Est autē impulsio, quæ sine
cogitatione, per quādā affectionē animi, facere ali-
quid hortatur: ut amor, iracundia, egritudo, vino
lætia, et omnia ea, in quibus animus ita videtur affe-
ctus, ut rē perspicere cū cōsilio, et cura nō possit. Ra-
tioratio est diligēs, & cōsiderata faciēdi aliquid,
aut nō faciēdi, excogitatio. Itaq, non improbo quod
Marius Salomonus in. l. 1. in pri. ff. de iust. & iur.
I 4. aquitate

aquitate recepta esse ait, Bal. opinionē in l. data opera. C. qui accusar, mitius cum eo agendum, qui fortuito occidit, quam qui consulto: licet lex in distinet siccarium occidi iubeat. Per quam sententiam Bartolom. Veronensis lib. cautelarum meminit, se iudicio liberaſſe quendam, qui noctu prateritum iactu per lasciviam lapidis occiderat: iterumque, et seſſorem, ut ipse ait, currentis equi, qui inuitus hominem contriuerat. Simile quoque illud, quod Castrēsis in l. i. ff. de legibus tradit, legi scilicet, qua iubet homicidam capite plecti, nisi intra mensem cētum fisco persoluerit, locum non esse in eo, qui imprudens occidit. Et Bald. in l. quicumque, C. de serui. fugitiu. regulare esse docet, legem, corporalem penam infligentem, nisi dolo delictum committatur, cessare: et Stephanus Forcatulus in cupidine iuris perito, cap. 20. num. 10. de Hyacintho per imprudentiam a Phabo interempto, talia homicidia, inquit, in publicis certaminibus ob virtutem factis contingentia, impunita sunt. l. qua actione. §. fina. ff. ad l. Aquil. Sed quia graue est hominem, vel casu occidisse, Graci ea voluntario exilio vindicabant: adibat exul sponte opulentissimum aliquem exteragentis hominem, ad expiandum facinus, ut versibus

sibus Homericis Claudius ostendit. l. aut facta. §. euentus. ff. de pan. Diodorus lib. 5. narrat Peleum Eaci filium, qui disci iactu Phocū fratrem substulerat, mox ab Actore rege purgatum fuisse. Quae omnia ad imprudentiam facti pertinere videntur: quid autem de ignorantia iuris cēsendum sit, videamus. Glo. in. §. suspectus, inst. de suspe. tu. ait, omnes debent scire iura, exceptis paucis: mulieribus, et minoribus, et militibus, ut in l. regula. ff. de iuris. et facti. ignoran. et in l. leges. C. de legibus, et in l. constitutus. C. de iur. et facti. ignoran. ergo si quis, inquit, ignorat, est in culpa lata: cum lata culpa sit, ignorare quod omnes sciunt, ut in l. lata culpa. ff. de verb. signi. Quod Ioan. Fab. atque Ang. in d. §. suspectus, cēsent intelligendū de iuribus vulgaribus, et casibus qui frequenter accidunt, secus de alijs, dicētes, quod si aliter intelligeretur, omnes de mundo essent in lata culpa: nam de imperatore solummodo, vel summo potifice praesumitur, quod habeat omnia iura in scrinio pectoris, ut dicitur in l. omnium. C. de testamen. et in c. 1. de constitu. lib. 6. Ego de hac re aliter sentio: ac primum, text. in l. regula. ff. de iuris et facti. ignor. non probat quod glo. vult, imo e diuerso in prin. ait, quod iuris ignorantia

I 5 cuique

cuique nocet, facti verò non nocet, & postmodum in versiculo, sed iuris, inquit, sed iuris ignorantia non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat, si iurisconsulti copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit: ut cui facile sit scire, ei detrimento sit iuris ignorantia, quod raro accipiendum est. Quod idè disponitur in. l. in bonorum. ff. de bonorū posse. titul. gene. ubi dicit text. in bonorū possessionibus iuris ignorantia non prodest, quominus dies cedat. Satis est enim scire mortuū esse, seq; proximū cognatū fuisse, copiamq; eorū quos consuleret, habuisse. Scientiā enim non hanc accipi, quæ iuris prudentibus fit, sed eā, quā quis aut per se habeat, aut consulendo prudentiores, assequi potest. Unde probari posse videtur, cum non omnes teneantur scire iura, iuris ignorantia tunc excusare, cum non est copia consulendi iuris peritos. Nam si omnes scire iura tenerentur, quorsum darentur inducia aliū cōsulendi, cum se ipsum potius oporteret quæq; consulere? Unde non credo rectè dixisse glo. in. d. l. in bonorū, licet eam ibi sequatur Bart. dū ait, distinctionē, potuit, vel non potuit consulere peritiores, solum procedere, cum de lucro captādo agitur. Deinde

de quantum verū esset (quod ego non credo) omnes teneri scire iura, non inde bene infertur, ergo eorum ignorantia est lata culpa, cum lata culpa sit, ignorare quod omnes sciunt. Aliud enim est ignorare quod omnes sciunt & intelligunt, aliud verò est nescire, quod omnes scire tenetur. Primum siquidè habet rem facti, & existentiā, quæ cum sint apud omnes, vel maiorem partem, negligentissimi hominis est ea nescire: & cum nolentibus etiā nobis, nec curantibus in nostrā notitiā veniant, asserenti id se ignorare, non creditur: cum potius malitiosa quadā simulatio et dolosa, affectataq; negligentia, quàm simplex ignorantia, presumatur. Multò verò aliter in secundo, cum ex ijs quæ scire nos oporteret, maiorem partem ignoremus, earumq; rerum ignorantia, & tolleretur, & excusabilis sit. Cum igitur inter se sint diversa, non ex eis inferre licet, ut in. l. final. ff. de calumnia. & in. l. Papinianus. ff. de minorib. disponitur. Quis enim sana mentis dicet, omnes homines iura omnia, et leges scire, et nosse debere, cum id quàm paucis iuris professoribus, nihil aliud agentibus, magnis laboribus, et lucubrationibus, longū post tēpus contingat? Nunquā iudicio meo mercatori, artificine, culpa reputabitur iuris ignorantia, nec id legum-

legumlatores sensisse arbitrabor, cum distincta officia sint, & munera, in qualibet bene constituta re publica, ut in l. 2. ff. de mundin. ex Platone lib. 2. de repub. dicitur: & quam quisq. nouit artem, profiteatur, & exercet, in ea errare, & labi culpam esse ait text. in. S. imperitū inst. de oblig. qua ex delict. in his
 23 verò qua nostri muneris nō sunt, peritiores consulere obligamur, ut late per glo. in. l. iuris ignorantia. C. qui admitti. Quod secundum Alex. ibi, intelligendū est, non solum si periti erant in eodem loco, sed etiā in oppido vicino, quia secundum Bald. rustici, quem admodum, ut ipse ait, vadunt ad nemus pro lignis, ita etiam debent ire pro consilijs, attenda loci vicinitate, arg. l. 4. S. sitam vicinum. ff. de dam. infe. & l. diuus. ff. de tutorib. & cura. dat. ab his, & qua tradit Anton. in. c. 2. de constitu. Secus verò si is qui consulere debuisset peritiores, longè à ciuitate distaret, vel bellum prohiberet accessum: tunc enim excusaretur, quanuis non consuleret, ut est sententia Roma. in. l. si duo. ff. de acquirend. hered. & faciunt notata per Ioannem Andream in capit. statutum de rescript. lib. 6. & per Abba. in. c. proposuisti, de probationibus. Quod intellige, nisi fides publica, seu saluus conductus
 haberi

haberi possit, nam tunc bellum non excusaret, ut dispositum est in Rotā decisionibus, titu. de dol. & contumac. & tradit Aret. cons. 16. Illud quoq. no.
 24 tandum, quod Bart. in. d. l. in bonorum scribit, dicens quòd qui consulunt peritiores, debet ei credere, & si errauit, habet iustā erroris excusationem: quod intelligendum est primò, in personis qua non tenentur, ut ipse Bart. ait, scire de per se. Nam si unus assessor petit consiliū ab alio, credendo cōsilio eius, non habet legitimam causam ignorantia, quia per se debet scire, & ideo imperitia sibi imputatur, ut in. c. imperitia de reg. iuris lib. 6. & faciunt notata per Bart. in. l. si conuenerit & ibi Ang. ff. de re iudica. ubi plura per Alex. Secundò hanc Bart. doctrinam, tunc demum procedere dicunt doctores, quando cōsulti fuerint saltem duo, quia iura qua de hac re disponunt, loquuntur in plurali, ut in. c. statutis de rescrip. in. 6. et notat Raphael. in. l. si duo ff. de acqui. hered. dicens teneri consulere plures, & prudentiores, arg. l. utique. S. culpa. & ibi Ang. ff. de rei ued. Qua tamē ratio nō est semper vera, prædicta enim l. regula. S. sed iuris, loquitur in singulari. Quapropter Roma. in. l. iuris ignorantia, dicebat, quòd aut plures erant in loco, & tunc pro
 cedit

cedit prima opinio, aut unus tantum, & tunc secus, arg. text. in auth. de non alien. §. quod autem, & quod notat Bart. in proemio. ff. in fine principij, & in l. i. de ventre in spi. & in l. i. §. fin. ff. de verb. obliga. Tertio declaratur predicta doctrina, si doctor non imperitus, sed doctus consulatur, argumento. l. quod si nolit. §. si mancipium, cū glo. verb. medicum. ff. de edil. edi. Dicit tamē Ang. in l. plagij. C. ad leg. Fani. de plag. quod ille qui consuluit doctorem minus peritum, & damnosum cōsiliū sequutus est, excusatur à dolo, non autem à temeritate, & culpa. Ad quorum comprobationem facit, quod Petrus de Ancharran. docuit, in clemen. ne Romani, in princi. de elect. & consi. 124. quod habens pro se opinionem doctoris, excusatur ab expensis, quasi habeat iustam causam litigandi, & Bal. in l. iuris. C. qui admi. asserit, quod notarius, si de consilio sapientis, quæ minus decent, adscribat in testamento, nō tenetur de facto, quia excusatur credēdo sapienti. Anto. verò, in c. finē, de dolo, & contumac. col. 10. limitat illam Ancharrani sententiā, si opinio doctoris esset contra communem doctrinam scribentium: de quo plura per Alex. in l. fin. de re iud. & Imol. in l. qui antè col. 2. de verb.

de verbo. obliga. Ex quibus omnibus satis apertè videtur probari conclusio, ignorantiam iuris peccati veniam impetrare, neque teneri omnes scire iura: licet hac in re multipliciter ab Azone distinguatur, in summa de iuris & facti igno. dum ait, multò aliter in imprudentia iuris naturalis esse dispositum, quàm sit in ignorantia iuris civilis: prima nanque neminem excusat, secunda autem si agitur de damno evitando, non nocet, si verò de lucro captando, distinguitur, potuerit ne peritiores consulere, & tunc nocet, vel non potuerit, quo casu non obest. Prasumetur verò ignorantia iuris in dubio, nec ne? In facto proprio non prasumi verior sententia est, argumento. l. final. ff. pro suo, et. c. ab excommunicato de rescrip. Fallit tamen hæc regula, dum agitur de damno evitando, ut in l. si post. ff. de iur. & fact. ig. Similiterque ubi est factum multum antiquum, nam ex longitudine temporis prasumitur obliuio, ut in l. peregrè. ff. de acqui. possess. Nec nō ubi factum esset flexiloquū, & obscurū, ut in l. emptor. §. Lutius. ff. de pact. vel si fuisset explicatū per procuratorem, ut docet glo. in l. si res de leg. 2. Postremo si quis esset multis negotijs implicitus, quia tunc etiam

etiam in facto proprio ignorantiam praesumi, tradit Bart. in l. 2. §. quod observari. ff. de iuram. calum. Circa factum deinde alienum ignorantia regulariter praesumitur. l. verius. ff. de probat. nisi esset tale factum, ut quis illud scire teneretur, ut in l. quod te. ff. si cer. petz. Tunc enim praesumitur simulata ignorantia, non vera, ut in l. 1. §. 1. si quis omnis. caus. testam. vel ubi quid esset publice gestum, ut tradit glo. in c. 1. de postu. pralatorum, tunc enim nisi absens, infirmusue, nemo excusatur, ut in l. is potest. ff. de adq. h. re. aut peregrinus, ut in l. 1. de decre. ab ord. fac. vel nisi quid factum esset a magnate, aut a nobili, quod a nemine ignorari voluit, Abb. in c. tuam de ordine cog. §. in c. illorū de sen. 26 exco. Quod ad mulieres attinet. l. fin. C. de iuris fact. ignor. ait, quod mulieribus non subuenitur, propter iuris ignorantiam, etiam in damnis, magis quam maribus, nisi in casibus expressis a iure. Quam eandem regulam firmat glo. in c. fin. in prin. 1. q. 4. qua glo. idem esse dicit in rusticis, quam sequitur Ant. de Butr. in c. 1. col. 4. de constitutionib. §. Alex. in l. si quis id quod col. 4. ff. de iuris d. omnium iudic. licet contrarium videatur probari in l. fin. C. de testam. ubi dicitur semper rusticitati consultum, de qua

quare Alber. ibi. 1. notab. Et quod rustico siue potuerit consulere peritiores, siue non, semper succurratur, videtur probare glo. iuncto text. in l. qui cunq. C. qui admitti, quam sequuntur Fulg. §. Roma. in l. iuris ignorantia eodem tit. Contrarium tamen tenet Bald. Salic. §. Castren. per illam legem, ubi mulieri non subuenitur, propter ignorantiam iuris, si potuerit consulere peritiores: ergo idem debet esse, dicunt, in rustico: quandoquidem in iuris ignorantia, mulier ac rusticus equiparantur, ut in l. 2. in fin. ff. de iur. fisc. §. in l. 1. ff. de eden. de quo per Anto. §. Imol. in c. 2. de costi. §. Cin. in l. fin. C. de testamen. qua tamen omnia locum in his non habent, qua concernunt formam actus, vel iudiciorum severitatem. Vnde si per errorem iuris rusticus, seu quis alius fecit testamentum, non servata debita solennitate, testamentum erit nullum, ut probatur in l. fin. C. de testam. et docet glo. in l. ambiguitatem. C. eo. tit. Et a Bald. in l. iuris ignorantia. C. qui admit. §. Salic. in l. 1. eod. tit. traditum est, rustico non producenti instrumentum, vel testes intra terminum sibi praefixum, non succurri, quamvis errore advocati id factum sit. Et idem Bald. in l. fin. in prin. 3. quest. C. de iure delib. affirmat, quod
K si mulier

si mulier, vel rusticus intra statutum tempus inventarium non confecerint, vel si minus solenniter confecerint, quanuis non potuerint cōsulere peritiores, iuris ignorantia non excusantur. Quam eandem sententiam tenet Bart. in cons. maritus fecit heredem uxorem, & facit glo. in l. iuris. 2. ff. de iuris, & fact. ignoran. & quod notat Bart. in l. 1. circa medium. C. eod. tit. & ibi Salic. Quod tñ iudem ipsi declarāt dicentes, etiam in tendentibus ad rigorem iuris conservandum, rustico iustam habenti causam ignorantia, succurri posse per restitutionem in integrum, ex clausula generali, si qua mihi iusta causa, de qua in l. 1. & in l. si per prætorem. S. hac autem. ff. ex quib. caus. maio. & multa per Paul. de Cast. in l. Clodius in fin. ff. de acquir. hered. Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Quod genus quanquam in iudicijs non versatur, nisi quadam ex parte, tamen quia pars ipsa saepe inducenda est, & apud principes, & res publicas ipsum genus tractandum, censui non esse prætèrmittendum. Oportebit igitur eum, qui sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare si qua sua poterit, vel maiorū suorum in rempub. beneficia: hac enim ratione reo indulgeri

indulgeri posse probatur, in l. honor. ff. de pen. Dein de ostendet, non odio, neq. crudelitate fecisse, quod fecerit, sed inconsultè, aut impulsu iræ, ac dolore repētino, quibus pena minuitur. l. absentē. S. vlt. ff. de panis, & in c. si quis iratus. 2. q. 3. Sæpe enim iram ocētes ad crimē adducit. ut in c. ira. 11. q. 3. etiam principes virtute singulari præditos, ut in c. cū apud, ead. caus. & q. Quæ tamen intelligenda sunt, ut à Plat. lib. 9. de legib. dicitur, cū distinctio ne: ira nanq. merito ab illo inter voluntarias & involuntarias actiones ponitur. Nā ille quidē qui irā servat, nec repētè, sed cum insidijs se postea vindicat, homicidæ voluntarij est per similis: is verò qui non servat, sed primo iræ impetu fertur, & absq. præmeditatione interficit, involuntarij homicidæ similis iudicatur. Maiora igitur supplicia illis sunt imponenda, qui consulto per irā interfecerunt, illis cōtrā, qui repētè, & incōsultò, leuior: potiorq. his, quàm illis erit in deprecatione locus. Postea pollicebitur, et cōfirmabit, se hoc peccato doctū, & beneficio eorū, qui sibi ignouerint, cōfirmatum, omnitemore a ratiōne absfuturū. Quæ rōe posse penā minui, traditur in c. licet. 45. dist. et in c. libèter de pen. in. dist. 1. & facit tex. in l. 3. C. de epif. aud.

28 ubi dicitur, crimina nisi semel commissa, veniam non mereri. Vnde quavis consuetudine probatum sit dictum Baldi, in auth, sed nouo iure. C. de ser. fugitiu. dum ait, quod si statuto, aut lege caueatur, quod pro tribus furtis quis suspendatur furca, si faciat unum aequiualens tribus, debet ille suspendi, crederem tamen ratione unitatis posse illi indulgeri: precipue si qua esset respiciendi spes. Maxime cum aduersus illam Baldi sententiam contrarium affirmant Salic. in. d. auth. sed nouo iure Montaluis in. l. 6. tit. de pen. lib. 4. for. Ias. in. S. ex maleficijs, col. 2. inst. de act. Anan. in. c. fin. de fur. Et Abb. in. c. porrecta, de confirma. util. vel. inuti. li. Deinde spem ostendet, aliquando se magno reipub. si sibi concesserit, vsui futurum: ut enim supra diximus, ratione publica utilitatis venia reo legitime conceditur. Qui duo loci si ex ante acta vita, ex causa, ex persona, ex facto ipso, alijsq; locis coniectura probari possint, maxime ad deprecandum conducunt: amplificariq; possunt elegantissime ex tex. in. c. circūcelliones. 23. q. 5. Vbi Augusti. ad Marcellia. comitem, de donatistis captis scribens; imple christianæ iudex, ait, pij patris officium, sic succensere iniquitati memineris, ut non in pecca-

peccatorum atrocitatibus exerceas vlciscedi libidinem: sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem Et postmodum ait. Ad hoc mitissimi homines facinus admissum diligenter, atque instanter examinare debent, ut quibus parcant, inueuiant. et in. c. unum solum, ead. caus. Et. q. idem Augusti. Donato scribit. Ex occasione terribiliu iudicum, & legu, ne æterni supplicij pænas luant, corrigi eos cupimus, non necari: nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicijs, quibus digni sunt coerceri. Sic ergo eoru peccata cõpescce, ut sint quos pæniteat peccasse. Et Cicero pro Publio Sextio, cohortari, inquit, ausus est accusator in hac causa vos iudices, ut aliquando essetis seueri, aliquando medicinã adhiberetis reipublica. Non est ea medicina cum sana parti corporis scalpellum adhibetur, atq; integræ: carnificina est ista, Et crudelitas: ij medentur reipub. qui exiccant pestem aliquam, tanquã strumam ciuitatis. Postea amplitudinem, Et nobilitatem generis eorum, qui se saluum velint, Et dignitatem ostendet. Personam enim intercedentis, reo maxime conferre probatur in. c. prodest. 23. q. 5. maxime si sint plures,

qui illi salutē et incolumitatē desideret: ut in. c. ult. §. itē opponitur. 22. q. 2. et in. c. fleat de penit. dist. 1. Deinde et dignitatē, et cetera ea, quae p̄sonis ad honestatē, et āplitudinē sunt attributa, cū cōquastione, sine arrogātia in se esse demonstrabit. Iure. n. cautū est obscurū hominē seuerius puniri, quā nobile, aut praeclarū, in. l. aut facta. §. prae terea. ff. de pen. et dignitatē attendi in minuēdis panis praeceptū est. c. qui cōtra, 24. q. 1. et in. c. ultimo d̄ pan. Defert. n. p̄iceps aliquādo nobilibus ne verecundentur, ut in. l. obseruandū. ff. de iudic. Postremò locis cōmunibus misericordiā captare proderit. Mouet enim maximē principes, si reos videant fidere potius eorum clementia, et benignitati, quā propria excusationi, et dignitati: humilitas namq; quam peccans flebiliter exhibet in supplicādo, saepe veniam vel ab seuero principis animo extorquet, ut docetur in. c. importuna. de pen. dist. 1. cuius rei extant elegantissima exempla apud Ciceronem pro M. Marcello, et pro Q. Ligario. Ceterū deprecationis mentio est apud iuriconsultos frequens, quanuis hoc verbū rhetorum proprium sit, nam in. l. quid sit fugitiuus §. idem Viuianus: ff. de edil. adi. Vlp. ait: si à magistro puer recessit, & rursus ad matrē puenit, cum

cū quæreretur num fugitiuus esset? si celandi causa quò, ne ad dñm reuerteretur, fugisset, fugitiuū esse: sin verò vt per matrē faciliore deprecationē haberet delicti alicuius, non esse fugitiuum. Et in. l. tres tutores. ff. de adminis. tuto. Tryphonius ait, in furibus eiusdem rei pluribus, nō est propterea ceteris p̄nae deprecatio, quòd ab vno iam exacta est. Et in. l. auxiliū ff. de minorib. idē Tryphonius, utiq; inquit, nulla deprecatio adulterij p̄nae est, si se minor annis adulterū fateatur. Atq; haec tadem sunt causae, 29 quib; à lege criminibus statuta p̄na auferri, minuiue, aliquādo etiā omnino tolli p̄nt. His verò nō extantibus, seueros iudices esse oportet, et criminū, ac peccatorū prōptissimos ultores, ac vindices: eo tñ ordine, ut si fieri id potest, meliores ciues efficiant, non extinguant. Vt enim à Platone lib. 9. de legibus dicitur, legum optimarum officium est, ita animos hominum instituere, ut oderint iniustitiam, iusti verò naturam vel diligant, vel saltem nō oderint: siue operibus, siue verbis legislator id assequatur, siue voluptate, siue dolore, seu honore, vel infamia, aut pecunia mulctando, aut donis, aut alio quouis modo id faciat. Quibus verbis, quā diuinē legū

finem ille perstrinxerit, quis non videt? Sunt igitur
 & officijs proponenda pramia, iniurijsq; seu ma-
 gnis, seu parvis statuenda pœna: non quibus per dan-
 tur ciues, sed quibus boni non solum metu pœnarũ
 verũ in pramiorum quoq; exhortatione efficiantur.
 Quo fit, ut quẽadmodũ supra diximus, maxima
 sit magistratibus adhibenda cura, ut nouis, ac de-
 nuò nascentibus virtutibus, faueant, & blandian-
 tur, si qua aut vitiare nasci viderint, & pullula-
 re, extinguant, ac perdant prorsus: omne namq; ma-
 lum nascens facile opprimitur, inueteratũ fit ple-
 runq; robustius. Quos verò nullo consilio sanari,
 nulla medicina corrigi, nulla religione astringi pos-
 se viderint, hos ultimo supplicio afficient, nõ igno-
 rantes satius fore his, qui insanabiles sunt, mori,
 quàm viuere, ac cum priuatur vita, dupliciter pro-
 desse ceteris. Nã horum exemplo à peccato ceteri
 deterrẽtur, et improbis hominibus ciuitas ipsa pur-
 gatur, bonisq; ut supra diximus, locus relinquitur
 ut è republica secũdũ virtutem viuere possint.
 30 Quapropter ego illius iudicis misericordiam, beni-
 gnitatem, & clementiam laudo, qui quantum viri-
 bus cõtendere potest, inuigilat, et procurat, ne quis-
 quam ciuis committat, ut morte multandus sit, non
 eius,

eius, qui etiam si commiserit, conseruandũ putat.
 Saluus enim improbis, sceleratis, & impijs, deleri
 innocẽtes, honestos & bonos viros necesse est. Vnde
 ut optime Philippica. 8. inquit Cicero, quẽadmo-
 dum in corpore, si quid huiusmodi est, quod reliquo
 corpori noceat, vri, ac secari patimur, ut mẽbrorũ
 aliquid potius, quàm totũ corpus intereat, sic in rei
 pub. corpore, ut totum saluum sit, quidquid est pe-
 stiferum amputetur.

De legitima philosophia LIBER SEXTVS.

VERAM nisi fallor philosophiam, nõ si-
 mulatã affectantes. Omnis hoc loco docto-
 rum oratio in ea quæstione consumitur, valeat ne
 dictum testis, vel non, per verbum, nisi fallor. Te-
 net aut cõmunis opinio, particulã affirmare hanc,
 eleganti specie dubitationis, ideòq; testis dictum nõ
 ex eo vitari, quod deponat dicens, ni fallor, vel in-
 decipior, vel ut arbitror: neq; hac ratione eius te-
 stimonium reddi dubiũ. Cui etiã sententiæ elegan-
 tissimis verbis suffragatur Cicero, pro M. Fonteio,
 qui cum satis multa testibus, ut eis credatur, ne-
 cessaria, proposuisset Induciomarum Calli aduer-
 sus Fonteium testem, irridens ait. Credo hac eadẽ
 Induciomarũ in testimonio timuisse, aut coguisse,
 qui

qui primū illud verbum nostræ cōsuetudinis, arbitror, quo nos etiā tūc utimur, cū ea dicimus iurati, quæ cōperta habemus, quæ ipsi vidimus: ex toto testimonio suo sustulit, atq; omnia se scire dixit. Et de eadē re, est nō pratermittendus apud eundē Cicero nē loc^o, in Lucullo, dū ait. Quā rationē maiorū et iā cōprobat diligentia, qui primū iurare ex sui animi sententia queng³ voluerunt, deinde ita teneri, si sciens falleret, quod inscitia multa versetur in vitatum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret, etenim quod ipse vidisset, quæq; iurati iudices cognouissent, ut ea nō ut esse facta, sed ut videri, pronuntiarētur. Nec mihi displicet quod Martinus de Laude, Frācisus Curtius, Claud^o, et Zafius asserunt, cōmunem illā sententiā procedere, si testis attulisset bonā, utilē, & cōcludentē rationem sui testimonij. Nam addita cōcludenti ratione, testis fidem facit, quanuis dicat, credo verū esse, ut docet Bal. in l. testiū. C. de testibus. Quod si ratio cōcludēs deficeret, fides testimonio derogaretur. Sed

² de his hactenus, ad maiora veniamus. Arbitror enim è re, esse ostēdere, quānā sit ea nō simulata, sed verā potius philosophia, quā principibus, legūq; conditoribus, ac summis magistratibus affectādā Vlp. proponit

proponit. Ego eā esse reor, à qua vitiorum peccatorūq; nostrorū, omnis petenda correctio est: quanq; maximè sequi ducem legūlatores, qui equū ab iniquo discernere, licitum ab illicito separare volunt, bonos premio, ac pena subditos efficere cupiunt, oportet. Neq; ad id efficiendū, eā solūmodo sapientia partē existimo esse necessariā, quæ dat propria cuiq; præcepta, nec vniuersum componit hominem, mariti tantum cum uxore officiū docet, patri quomodo educet liberos ostendit, ac dño quomodo seruis imperet. Quanuis hanc solam quidā recipiāt, ceteras, tanquam extra nostram utilitatem vagātes, cōtemnentes, quasi possit de parte suadere, nisi qui summā prius totius vitæ cōplexus est. Verū mihi verā philosophia cultores dici non possunt, cum eius solūmodo partē amplectātur, et eā quidē leuē, ut pote quæ nō descēdat in pectus, neq; ullo modo in aīo figere sola radices possit. Is nāq; virtutū chorus est, et catena, ut una sine alijs, aut nulla sit, aut imperfecta. Vnde à Stoicis dicitur, eū qui sese ad totā vitā instruxerit, nihil necesse esse particulatim admoneri, doctum in totū, nō quomodo cū uxore, aut cum filijs viuat, sed quomodo benè viuat. Sed quæ admodū in affectibus, cum aliquē amare alterumq; dicimus,

dicimus, si verè id fiat, non intelligimus partem diligere, odio verò habere alteram partem, sed ad totum aequaliter affici. similiterq; Et ebrij, non solum illud, aut alterum, sed quodlibet, quacunq; capti occasione vinum auidè expetunt, nec aliter verè philosophiæ affectatores, partem aliquã doctrinæ spernere, partem amplecti nõ decet, sed ad omnem iustitiã prõptissimos, et inexplebiliter inhiantes se præbere, ut veri et legitimi euadãt pholosophi, qui bus reipu. clauus meritò cõcredatur. Atñ sedare eos primùm oportet perturbationes, ut pulcherri mi operis studio sit locus, cui vacare mens nõ nisi vitijs liber a potest: cū in eodẽ pectore nullũ sit turpiũ honestorũq; cõsortium. Vt enim si quid oculis oppositũ remoretur visum, remoueri primùm illud conuenit (laberetur nãq; cõtinetur, et erraret, qui nisi illo reiecto, aut ingredi iter pedib⁹, aut sumere vellet aliquid in manus) nõ secus ubi quid obcæcat animum, Et ordinem officiorum videri impedit, nihil agit, qui parentum munera, vel cõnubij leges ediscit. Quid enim illa proficiet ei præcepta, cui metus error infusus est? Si quis verò, us primũ discussis nebulis, in securissimũ philosophiæ portum, veluti magna iactatus tempestate confugiat, omnemq; voluntatem,

luntatem, atque studium in eius sanctissimum finem conferat, quid cuique debeat officio, apertè cognoscet. Nam expulsis ignorantia tenebris, in opinione adhuc nullum firmabit pedem, sed ad cognitionem vsque veritatis, Et entium scientiam contendet: iam demum intelligens philosophiam, si vera sit, non opinione constare, sed veritate Et scientia, qua equũ separans ab iniquo, licitum discernes ab illicito, Et sibi, Et reipub. salutare instituet leges, eò præcipuè tendentes, ut aut spe, aut metu, boni efficiamur. Ea enim vera philosophia existimãda est, qua nos docet mortales omnes res, ad corporis sanitatem, vires Et habitudinem (adhoc siquidem creatæ sunt) referre: corpus autem animo immortali, Et diuino, omni sensu obedire, quandoquidem illi veluti instrumentum datum est: animum verò Deum rerum omnium parentem, infinitè bonum obseruare, timere Et religiosè colere. Atq; hũc arbitror esse verissimũ iurisconsulti sensum, qui cum omnem iurisprudentiam eò retulisset, eiusq; finem, Et scopum esse dixisset, ut boni quacunqueratione efficeremur, huius rei artem, Et disciplinã veram philosophiam esse dixit, cuius se, Et omnes iurisconsultos affectatores esse gloriatur. Nec id mirum,

3 mirum, quandoquidem impossibile est, eum qui
 nesciat, qua ratione iusta, & honesta, bona sint,
 idoneū se ipsum exhibere custodem. Quo fit ut à
 Philone Achademicorū post Platonē principe, me-
 rito cōmendetur Moses, quod quatuor assequutus
 eximia fuerit, factus idem Rex, legislator, prophe-
 ta, et pōtifex. Nā regnavit, inquit ille, nō more alio-
 rū fretus copijs pedestrib⁹, equestribus, et naualib⁹:
 sed Deo, cuius auctoritate regnū acceperat, subdi-
 tis volētibus, ac libētibus, qui numinis caelestis instm-
 etu, eū sibi principē optauerāt. Idē & legislator fa-
 ctus est: regis enim est vetare, iubereq₂. Et quoniā
 utrobiquē incertū est, quid cōducatur, (accidit nāq₂ per
 ignorantiam plerunq₂, ut vitanda iubeamus, iu-
 benda vetemus) ideo conueniebat tertiam adhibe-
 ri prophetiam, ne quid erretur. Nam propheta in-
 terpres est Dei dictātis intus oracula: quidquid au-
 tē fit diuinitus, nō est reprehēibile. Postremo quar-
 tus accessit pontificatus, ut pro sua facultate pro-
 phetica, sciret eū, qui est, colere, & quādo subditis
 res prospere cedūt, gratias illi agere: quod si ulla in-
 cideret offensio, supplex impetraret ueniam. Hac
 cum ad idē genus pertineāt, debent cōtineri, coapta-
 riq₂ mutuis vinculis, et in eodem requiruntur homi-
 ne,

ne, ut si cui quoduis desit horū quatuor, claudican-
 tis reip. princeps censendus sit. Sunt autem ferē hęc
 omnia à Platone in dialago ciuili, vel de regno, ele-
 ganter tradita, præcipuē illud, reges maxime sacer-
 dotiū decere. Figura nāq₂, inquit, sacerdotum, &
 vatū, magnanimitate, intelligentia, et claritate abū-
 dat, propter earū rerū quæ aggrediuntur, tractātq₂,
 magnificentiam. Quapropter apud Ægyptios, nō
 licet regē, absq₂ sacerdotiq₂ imperare. Nec secus no-
 ster iurisconsultus, hęc quatuor hac unica lege cō-
 plexus est. Nā et iuris, legisq₂ potestātē descripsit,
 & se sacerdotē professus, legūlatoris officium, in præ-
 miorū, panarūq₂ cōstitutione mōstrauit, et veræ phi-
 losophia affectatores iuriscōsultos esse oportere do-
 cuit. Vt iā illud quod paradoxū iudicatur, verissi-
 mū esse, fateri necesse sit. Nisi philosophi ciuitati- 4
 bus dominētur, vel ij qui reges, potentesq₂ dicuntur,
 legitime sufficienterq₂ philosophentur, in idemq₂ ci-
 uilis potentia, & philosophia concurrant, non fore
 ciuitati, vel hominum generi, requiem ullam malo-
 rū. Id autē vel exemplo probat Seneca ad Lucillū
 dicens, illo sæculo, quod aureum perhibetur, penes
 sapiētes fuisse regnū, Posidonius asserit. Hi cōtine-
 bāt manus, et infirmiores à validioribus tuebatur,
 suade-

suadebāt, dissuadebantq; utilia atq; iuutilia monstrabant. Horū prudentia, ne quid deesset suis, providebat, officium erat imperare, nō regnum. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut causa, cum benè imperanti, benè pareretur, nihilq; rex maius minari male parentibus posset, quàm ut abiret è regno. Vnde illud euenisse credo, quòd in. l. cū Syllanianum. C. de his quib. ut indig. Et philosophia cōmendatur, Et philosophia plenus laudatur imperator, Et à Theodosio in. l. 1. C. de stud. lib. urb. Roma et Const. lib. 10. profundioris scientia, atque doctrine auctores philosophi appellantur. Quòd scilicet, nisi se vera philosophia affectatores ostendant, glorianturq; vel ipsi principes, se ipsos regno, et maiestate indignos fateantur. y. vero ab ipsa natura cōstitui principes, Et magistratus videantur, quibus ceteri seruiant, qui felici ingenio nati, in familiaritatem sapientia sese benè intus insinuarunt.

Observata in libro primo.

D elphici oraculi interpretatio. nume.	1.
Hominis dignitas.	2.
Iustitia præ ceteris virtutibus, circa alterius commoda versatur.	3.
Nosse oportere unde nomen iuris descendat, quomodo accipiendū sit.	4.
In omni disputatione, aut de re, aut de nomine, controuersia est.	5.
Cum ius à iustitia appelletur, quod à iustitia non deducitur, ius non est.	6.
Iustitiam priorem esse iure, et quomodo id sit intelligendum.	7.

Observata in libro secundo.

I ustitie definitio: num.	1.
Fundamentū iustitie esse fidē quomodo accipiendum sit.	2.
Negotia causasq; mutari in dies, iustitiam eandem semper esse.	3.
Iustitiam meritò nominatam constantē, et perpetuā, quod nonnulli quale esset non perceperunt.	4.
Causarum, quæ cōstanter operentur, et quæ inconstanter.	5.
Formæ Platonice quæ sūt.	6.
Quæ iustitia dicta sit ab Vlpiano constans et perpetua.	7.
Explicatur. l. fin. ff. de iust. et iur.	8.
L. sed licet. ff. de offi. pres. quomodo intelligenda.	9.
Quam dicant iustitiā iurisconsulti.	10.
Iustitie definitio Ciceroniana, cum V	11.

piani definitione confertur.	11.
Virtus sit ne affectus, an potentia, an habitus.	12.
Voluntas generale verbum multa cōplectitur.	13.
Voluntatis verbum rectè ab Vlpiano positum in definitione iustitie.	14.
Constans et perpetua voluntas, an habitus dicitur posit.	15.
De qua voluntate accipiendū sit quod Vlpianus ait.	16.
Premium et pena locum non habent in brutis.	17.
Regiæ leges et ciuiles cur latæ in qua drupedes.	18.
Iustitiā cur appellauerit Vlpianus voluntatem,	19.
Iustitia ius suum cuiq; tribuit.	20.
Qualiter intelligatur, iure naturali omnia esse hominibus.	21.
Iustus primum sibi, cum corpori, tum animo necessaria ministrat.	22.
Verba illa Gen. 8. sensus et cogitatio humani cordis in malū prona sunt ab adolescētia sua, quo pacto intelligenda.	23.
Vlpiani respōsum in. l. 1. §. ius naturale ff. de iust. et iure. examinatur.	24.
Matrimonium an sit de iure naturali.	25.
Intellectus dicti §. ius naturale.	26.
Corpori quæ sūt tribuēda, et quātū eī causa laborare hominē deceat.	27.
L. ut vim ff. de iust. et iur. et similitum interpretatio.	28.
Pro defensione honoris, aut rei familiaris, an liceat alium occidere.	29.
Bannitus an possit sese defendere.	30.

Adulter, iuste ne se defendat. 31
Defensionis limites excedens extra or-
dinarie punitur. 32
Qui dum se defendit occidit alterum,
non fit irregularis. 33
Defensio fit ne iuris gentium, an na-
turae. 34

Observata in libro

tertio.

Iustitia in commutativam & distri-
butivam dividitur, num. 1
Vtriusq; partis medium esse & equalita-
tem. 2
Duplex differentia iustitie commutati-
ve & distributive. 3
Iuridicialis causa que dicatur. 4
Ratio. l. si ita scriptum. ff. de liber. &
posthu. 5
Lis qui sola. ff. de legat. 1. qua ratio-
ne nitatur. 6
Exempla iustitie commutative. 7
Et in causa. §. idem Pomponius, &
item si queritur. §. quemadmodu
ff. locati, quibus dicitur, in precio
emptionis & venditionis, natura-
liter licere contrahentibus, se cir-
cūvenire, varie interpretaciones. 8

Observata in libro

quarto.

Iuris definitio. num. 1
Diuersa interpretum commenta ad
iuris definitionem. 2

Quod ius à Celsò hac definitione com-
prehensum sit. 3
Quis debeat esse legunlatorum finis
in sancitiõis legibus. 4
Bonorum, in diuina & humana par-
titiõ. 5
Ius vniuersum circa hanc bonorū par-
titionem versari. 6
Iurisprudentia quantum humane va-
letudini, & comuni reip. salutis pro-
spiciat, propositis è iure ciuili ex-
plis ostenditur. 7
Lex 12. tab. in vrbe ne sepelito. 8
Morbis à quibus rebus excuset. 9
Patrimonialia beneficia aliquando etiã
non originarijs conferri. 10
Lex hispana prohibens externos bene-
ficia ecclesiastica obtinere, expli-
catur. 11
Pulchritudinem, ornatumq; vrbis &
singulorum, curã esse iurispruden-
tie. 12
Deformes arcebat à sacris lex vtrius-
que. 13
Lex hac. ff. si quad. paup. fec. dic. ex-
plicatur. 14
Gymnasticæ & hellicæ exercitationis
virtus, ut bene constitum rep. 15
Loca gymnasticis exercitationibus à
iurisprudentia fuisse cõstitutum. 16
Vestigialia nervos esse reip. & quanta
fuerit veterum legunlatorum cu-
ra peculij. 17
Cõparandis, erogandisq; pecunijs quis
modus adhibendus. 18
Humana bona ad diuina esse referen-
da. 19
Prudentiam quomodo ius doceat, &
qua in parte reip. hac virtus locata
sit. 20

Platonis

Platonis fabella de metallis admixtis
hominum generationi. 21
Temperantiæ quoq; artem ius esse: &
qua in parte hac virtus sit constitu-
tuenda, ut ciuitas temperata dici
possit. 22
Explicatur. l. princeps. ff. de legibus. 23
L. 1. ff. de constit. princ. interpreta-
tio. 24
Quid singuli magistratus præstare de-
beant. 25
Fortitudinis etiam præcepta ius trade-
re. 26
Ad quam reip. partem fortitudo per-
tinet. 27
Cur ad audaciã, cum tamen ea vir-
tus non sit, tot præmijs adhortemur. 28
Iusta Resp. que sit, & quod iustitia in
se virtutes continet omnes. 29
Aequitas in definitioe iustitie posita,
quo sensu accipi debeat. 30
Aequitatis partitio, & eius mēbra. 31
Pietas que virtus & ad quos refera-
tur. 32
Totum penè ius æquitatis partibus cõ-
stare. 33
Ius quare dicatur ars boni & equi. 34
Geminam artem, scilicet causam & cõ-
causam, in omnibus que sunt con-
siderari. 35
Singularum rerum triplicem esse ar-
tem, vtentem, facientem & imitan-
tem. 36
Quid significet. Cuius merito quis nos
sacerdotes appellet. 37
Cuius boni & equi notitiã iuriscon-
sulti profiteantur. 38
Licitum ab illicito discernere quid
sit. 39

Virtutū cognitio iuris professoribus
necessaria. 40

Observata in libro

quinto.

Iurisprudentiæ præstantia. num. 1.
Medici iuris peritis non sinit cõm-
parandi. 2
Naturæ & fortune vocabula quomo-
do accipienda. 3
Iurisprudentiæ finis est, præmio aut
pæna ciues bonos efficere. 4
Officia aut per se ipsa, aut quod alteri
utilia sint considerantur. 5
Virtutis fructus & magnifica præ-
mia. 6
Conciliantur Platonis & Aristotelis
de summo bono sententiæ. 7
Præmijs qui de rep. bene mererentur
constituenda esse. 8
Ratio præmij quibus circumstatijs me-
tienda sit. 9
Multis causis pænas legitime posse mi-
nui. 10
An sine causa princeps deroget iuri
positiuo. 11
Quibus causis pænae legibus consti-
tutæ minuantur, augcantur, protra-
hantur, aut remittantur omnino. 12
Iuridicialis generis in partes absolutã
& assumptiuam partitio, & earū
inter se diffrentia. 13
Assumptiuæ partis in Comparationē,
relationē criminis, remotionē cri-
minis, & concessionē subdiuisio. 14
Cõparatione pæna temperari, exēplis
è iure ciuili propositis ostēditur. 15

L 2. Compara-

Comparatiuam esse iudicationem .l.
Ad bestias. ff. de pænis, cuius intelle-
ctus latè examinatur. 16
An meretrici volenti ei nubere, qui
dammatus ad mortem est, annuen-
dum sit. 17
Relationem criminis valere plurimū
ad effugiendum supplicium, iuribus
manifestis probatur. 18
Remotione criminis, hoc est cause, vel
rei, pænam quoq; mitigari. 19
Concessio in purgationem & depreca-
tionem diuiditur: rursusq; purga-
tionem in imprudentiam, casum, & ne-
cessitudinem, atq; his omnibus pæ-
nam, euitari. 20
Quas personas, & à quibus rebus ex-
cuset ignorantia. 21
Ignorantia iuris an sit lata culpa. 22
Peritiores consulere quando quis te-
neatur. 23
Quod dicitur excusari eius errorem
qui peritioris consiliū sequutus est,
quatenus precedat. 24

Ignorantia iuris quādo præsumatur. 25
Fœminas & rusticos non semper ex-
cusat iuris ignorantia. 26
Deprecatio quid sit. è quibus locis de-
promenda, & ubi locū habeat. 27
Faciens vnum furtum æquiualestri-
bus, an furca suspendi debeat. 28
Quod consilium in vindicandis crimi-
nibus iudices sequi conueniat. 29
Quatenus iudices benignos & miseri-
cordes esse oporteat. 30

Observata in libro sexto.

Dictum testis deponentis per ver-
 bū, nisi fallor, an valeat. nu. 1
Vera, non simulata philosophia, quæ
dicatur ab Vlpiano. 2
Quæ deceant optimū principem. 3
Rerum publicarum custodes philoso-
phari oportere. 4